

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
5 A
65





PROLVSIONES ACADEMICÆ BARONI.

PARS ALTERA.

ORATORIA

Binos alit vbere foetus Virg



PROLVSIONES ACADEMICAE

AVTHORE
P. FR. BONAVENTVRA BARRONE
Ord. Minorum Strictioris
Obseruantiæ, Hyberno Clonmeliensi
IN ROM. S. ISIDORI COLL.
PROFESSORE



Romæ — *Typis* — *Sup. permissu*

PROLVSIONES ACADEMICÆ

In potiores Sac. Theologiæ materias, quum dictandæ, aut disputandæ offeruntur.

AVTHOR

BONAVENTVRA BARONIVS

Ordinis FF. Minorum Strict. Obser. professor in Romano Collegio S. Isidori, Hybernus Clonmeliensis.

ROMAE, Typis Mascardi, MDCLI.


Superiorum licentia.

ILL.MO ET REV.MO DOMINO

IO. BAPTISTÆ GAVOTTO

Decano maioris Præsidentiæ,

Vtriusque Signaturæ Referendario, &c.



QVIDEM in eo fabularum figulis applausi, quod Charites nunquam solas, vbique

plures posuerunt. Quod Grecorum stratagema Latinus quis ita retexit vt disceret beneficium nunquam vnius opera absolui, sed egere non admittēre minus quā præbente. Instituendus est accipientum delectus, quem obseruans Aristoteles suū de Mundo opus Alexandro dicauit, Seneca de beneficijs Eu-

bu-

bulo Liberali ſcripſit, de tranquillitate animi Sereno. Ego Theologiæ præludia molitus, Tibi ea inſcribo *Ioannes Baptiſta*, *Illuſtriſſime* non doctrina minus quam dignitate. Enimuero quam Tu huius iuris vltra ordinem ſis conſultus non tam teſtor ego, quam miror, mororq; quoties in hoc Vrbis ſeceſſu vmbratilem

profeſſorem dignaris me inuiſere, dignaris autem ſæpiſſimè. Ibi etenim ego ad Te aciem animi ſuſpendo, tanquam ad fornicem latiſſimo arcu imminentem, vbi velut in Firmamẽto cœli doctiſſimi ac Beati manes, Auguſtinus Proſper, & (nõ paulò maior) Paulus, in te reduces de diuinis loqui audiuntur. Et ſi

quan-

quando ad citimum hunc Mundum deuoluor, Alexander euadis, plus Orbis ſcitu, quam ille poſſeſſione complexus. Dixi aliquid de ipſo, ades expeditus, terram in prouincias, mare in ſinus ſcindis; parum eſt Europam metiri, nouũ Mundum veterem tibi feciſti. Et quamuis ipſe tanquã Serenus quiſpiam trã-

quillitatem tumulti-bus præposueris, tamen in maioribus tuis magnam illius partem nõ passibus modo, sed officijs publicis, etiam vtilitate peragrasti. Auus tuus Vincentius Gauottus Carlo V. Augusto in expeditione Narbonensi insignem operam nauauit castrorum procurator. Huius filius Iulius sub illius filio Philippo, apud

apud Icoſium, du-
cem copiarum egit,
ac deinde in ſubſi-
dium Melitenſium
commigrauit. Et, vt
prȩteruehar adhuc ſu-
perſtites nepotes tuos,
qui Ferdinando II.
honorarij ephebi ad-
ſtiterunt, quo indice
coercebo affinitates
Principum, Eccleſia-
ſticas inſulas familiæ
tuæ inſertas; quum
Laurentius Gauottus
tibi

tibi germanus frater Intimelij Episcopus Romanorum Pontificum Nunciaturis ad Heluetios fungeretur, fæminæ vestræ primę notæ viris collocatæ, Ianuam Sauona, Sauonam heroibus illustrarent. Inter quos quoniam optimo Orbis census est dignissimæ memoriæ Xystus PP. IV. natione tua Ligur, professione nostra,

Mi-

Minor, iam ille reciproco nexu tibi religionem meam, mihi regionem tuam commendauit. Vale *Illustrissime ac ornatissime vir*, atque, hunc sequentis Theologiæ apparatum opportunus admitte, Tibi Eubulus, mihi etiam Liberalis. Ille auctoritatis tuæ obiectu certiùs quam caduceo omnes etiam obstan-

tes

tes adibit: quanquam alioqui ego videar ei prouidisse ne cuiusquã offendiculo prodiret. Mole paruus est, materia diuinus; argumento doctis placebit, compendio delicatis. Iterum vale, vt vouet

Ex S. Isidoro Vrbis 23. Decembris sacri anni 1650.

Illustriss. D. T. deuot. cliens

Fr. Bonauentura Baronius.

Imprimatur si videbitur Reuerendissimo P. Sac. Pal. Apost. Mag.

A Rinaldus Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Mag. & Soc. Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi Sac. Pal. Apost. Mag.

F. DANIEL A DONGO

Lector iubilatus,

Totius Ordin: Minor: S.P.N. Francisci Vicarius Generalis.

QVum Prolusiones Theologicæ P. Bonauenturæ Baronij Prouinciæ nostræ Hyberniæ Prædicatoris, ac Lectoris generalis, & in Romano collegio S. Isidori S. Theologię primarij professoris iuxta S. Concilij Trident. & nostri Ordinis sanctiones reuisæ & approbatæ sint, concedimus,

quan-

quantum in nobis est, licentiam dicto P. Bonauenturæ vt eas typis committere possit. Dat: apud S. Mariam de Aracœli hac die 10. mensis Maij 1641.

Fr. Daniel à Dongo
Vic. Gen.

Ad

Ad clarissimum virum

P. BONAVENTVRAM BARONIVM.

Post Poematum opuscula, Prolusiones Theologicas & Philosophicas edentem.

PErgis? an fama satur atq; laudũ
Spernis applausum, popularis aura
Dives, & magni male cautus abdis
pectoris vber?
Pergis? an frustra tibi Pegasei
Prodigo mersit labra fontis imbre
Arbiter vatum, meritisq; vinxit
tempora sertis?
Ad tuum lympha saliente carmen:
Aldobrandini laticis, iocoso
Ludicras sumpsit, posuitq; Proteus
ore figuras
Hactenus Musa: sacra nunc Lycao
Antra Permessi, riguamq; mutas

Per-

Porticu Cyrrham, bifidumq; linquis
transfuga montem.
Iamq; diuinum (saturandus olim)
Manna praegustas, Superumq; lautis
Accubas mensis rutili beatus
hospes Olympi.
Inde securo per inane lapsu
Desilis praeceps, & opaca caeca
Lustra Naturae, Chaos & profunda
impune pererras.

Edmondus o Meara Ormoniensis
Hybernus, medicinæ Doctor

LE-

LECTOREM
Meum

NOlo præ foribus ſiſti: & quorſum mihi exordium operis inuideam, ipſis etiam proluſionibus proloquendo? Adeo hic interim ea tantum notata illi, repetita mihi volo quæ philoſophicis Proluſibus neceſſaria protaſi antedixi.




Nu-

Numerus, Ordo, & materiæ Prolusionum.

1 *Est de Deo.*
2 *de Diuina Trinitate.*
3 *de Angelis.*
4 *de Gratia Sanctificante*
5 *de Gratia adiuuante.*
6 *de Peccatis.*
7 *de Incarnatione.*
8 *de Fide.*
9 *de Baptismo.*
10 *de Pœnitentia.*
11 *de Eucharistia.*
12 *de Beatitudine.*

PRO-



PROLVSIO

Prima.



De Deo.



ROLVDENTI mihi ad theologicos congressus protinùs innotuit cæleſtis materia noſtrate non loco magis abeſſe, quàm conditione. Apparuit aliud eſſe ſuperare cliuum, ac deſcendere, puluerem Olympicum, & agreſtem legere; verbo, phyſicam palæſtram ioco, diuinam induſtria decurri. Debui ſiquidem hic horizontem non mutare tantùm, ſed excedere; atque ea aſtra, quæ ſuſpexi hac-



 tenùs,

tenùs, supplodere: scilicèt debui sensus, quos pridem sequutus sum, tanquàm cæcos ducere; alium Orbem, exotica Elementa, noua omnia mirari; vt si ex æquo bilances obiecti, ac potentiæ, siuè fabulæ & actoris sibi respondeant, alius etiàm Orator, ego à me ipso debeam abire. Enimuerò hodiè imus in aduersum nostri etiàm ipsorum, idem curriculum obiectis passibus (tantum non Antipodes) remetimur. Olim ego naturali decursu à causis ad effecta deuolutus, per opera Dei facillimè pronum vestigiū circumduxi; nunc necesse est reuocare gradū, quod est opus, & euadere ad ardua, quod labor; hic improbus, illud immēsum. Notum non nemini, quin cuique, si quis non est hospes in cæli cogitatione, quàm facilè, etiàm furenter vastissimæ sphæræ, ab ortu in occidentem raptæ, frigidè ac languenter pro-

proprias periodos ab ortu in occasum absoluant. Nec id cælo peculium est, quin commune; quoniam quaquauersum corpora citiùs itum, quàm reditum moliuntur. Mare æterno æstu inquies citiùs excedit alueo, quàm illabitur, vt faciliùs hinc nouo Orbi vela inferas, quàm indè ad nostrum regrediaris. Impacta, & illisa tardiùs redeunt quàm processerunt, siuè ipsa in flexu motum quietè sciderunt; siuè obex aliquid impetus suffocauit, quorum omnium ratio ipsis constat, mihi experientia suffragatur, vt quoniam vbique itinerum lentius altitudini obniteris quam illabaris; (quando orbes, qui proximè primo mobili (motori dixerim) accedunt, segnissimè suo curriculo defunguntur); nemo me miretur inter sacramenta diuina gradientem à fluxis his, & moribundis ad æterna tùm tardissimè

ferri, quàm primũ mobile etiàm motoré attingo, si attingo tamẽ.

Ità is, quia nihil non continet etiàm opposita sibi coniugauit; ægrè illum, & facilè dixeris; vndique obuius nullibi definitur: auræ similis, quæ ità vbique occurrit, vt nihil videatur implere. Sciri nescit, nesciri renuit, pari interuallo ignorantiam nostram, & conscientiam sui profligat. Etenim incipere non potes, nisi ab initio: sed ille odit exordium, quià æternus. Pergere nescis, nisi progressu; sed ille medium nescit, quia infinitus: ac denique cùm desinere in fine necesse sit, ille exitum ablegauit, quià immortalis. Sed hoc ipsum esto orationi meæ scopus, id saltem assequar, quid ille dicendo sciatur indicibilis, fatu ineffabilis, quia quùm definitione sui crescat, maximo eulogio facundiã seipsa superauit. Vt non temerè Simonides apud Ciceronem

ad

ad explicandum Deum accepto die, & expleto biduum postularit, & eo exacto, triduum, tanquàm quo magis conatum tenderet, conatu ipso dedoceretur: Aeternitate ille discendus est, & siquidem, quandò intelligendus? tàm serò apprehenditur, qui non potest capi.

Sed hoc, atque id genus paradoxa ità accipio, vt naturam Dei, non vitam eius attingant: Latet quid sit Deus, quod sit autem, liquet, ità palanter, vt non posit ne ab ipso quidem dissimulari. Et quid magis illustre, quàm constitisse illis Deus, quibus Dij fuerunt? qui tantum abest quod nescitu Dei delinquerent, vt etiàm scientia ipsa laborarent. Quis numerũ Dijs gentium posuit; modũ numero quùm ille plura numina, quàm nomina haberet, vt vnũ in multa quadraret. Ianus bifons, Hecate triformis, Ioues tercentum fuerunt. Sed vt

ego hic saniem à carne distinguam, & huius numeri recensum in proximum quadrantem deponam postliminio resumēdum: Meritò illis hæc Dei opinio hæsit, quanquàm non opinio, sed nec fides fuit. Apodixis illa est, quam excutere nisi cùm intellectu non possumus: Religio est ante quam naturam ipsam violamus. Dixerit fortè aliquis in corde suo: Non est Deus; sed insipiens: Alius optauit, ne esset; Sed sacrilegus; in quorum classe reponenda est eorum amentia, qui eum esse partem aliquam Mundi, hoc est, aliquid sui operis affirmant. Apagè autem istorum stultam religionem, illorum sacrilegam stultitiam; & verè stultam, quæ tamen ipsa Deum esse astruit, etiàm dum negat. Nempè si Deus non sit, ille insipiens non fuit qui eum negauit, sed prouidus potiùs, qui deesse eum querebatur; & verè

verè prudens, nam si ille non sit, nec nos sumus, vndè enim? an quisque sibi auctor est? atqui id minimè. An nullus? Sed hoc minùs; aut fortè intercedere volent vtriusque inuidiæ, & affirmare quod ego vir senem me reddidi, adolescens virum: puer adultum: atque ità præpostero regressu neque deeram qui dabam, neque eram, quod dedissem. Speciosa insania byssinis vittis alliganda, quùm imperitissimi diribitores vt vnũ monstrum effugiant, duo sibi adquirunt, & malunt totum hominem sibi adscribere, quàm quidquam illius Deo: non intelligentes quod hoc eorum commẽntum explicatis calculis sequatur infans à nemine, quisque ex vtroque parente nullo, id est, bis ex nihilo tam materiæ quam gignentis oriri.

Græci portentorum figuli sparserunt segetem hominum ex seméte dentium oriundam,

ſed nonnulla; Aegyptijs creditũ Deucalionem, & Pyrrham reparaſſe extinctum genus iactura lapidum, ſed aliqua; quin cùm longò leuioris operæ ſit deponere quidquam, quàm ſtatuere; tamen inter tot metamorphoſes nulla canitur, qua quidpiam in nihilum redigatur; Si ergò hæc, quæ eſſe accipiunt morti obnoxium, quæ eduntur deſitura, non poſſunt prorsùs perire; credemus aliquid tàm facilis partus eſſe, vt quod Nihil finem habere non poteſt, poſsit principium? Ità Athei priùs hominem, quàm Deum excuſſerunt, mentem amentia illa mutarunt, quæ tàm immanis eſt, & opinione indigna, vt non auſæ fuerint tàm proiectè fabulæ, id eſt mendacia ipſa mentiri.

Sed quoniam animalia hęc ſibi ſapere videntur, vtar aduerſus illa, quo aptiùs, quàm ariete illo ordinati Orbis terra-

rum,

rum, vt Elementa solida leuibus subſtent, inimica medijs diuiduntur; vt ignis proximè Cęlum lambat cui nocere non poteſt; terra lōgiſsimè abſit, quā deuoraret. Vt ille princeps orbis cæteros tanquàm ſatellitiū ſecum ducat, hi elementa omnia præter terram; quià nimirùm iſta centrum eſt quod etiàm in concitatiſsima ſphæra conquieſcit. Quale libramentum huius Mundi humorum, quibus ipſe tanquàm animal conualeſcit; vt aureus ignis flauam bilem reddit; aura, quæ inuiſibilis, atram; aquam ipſa pituita, omnes ſibi auulſas ne noceant, minantes nè torpeant, relaturas vicem ſi impetantur. Illa decupla proportio elementorum quam decua, à ille numerus tetragonus, quam exactus, & referens quadrigam tempeſtatum, qua annus volutatur; vt totius ordo in partibus ſeruetur, & quomodò ex

vna terræ hemina decem aquę duplum aëris euadunt; ità ipsa simplicissima elementa decumanis incrementis se superent, & impleant non solùm dignitatis titulo superiorem locum, sed fœcunditatis laxiorem. Iam verò in cælesti Mundo, quam exactè omnia, quam religiosè in Aplani Firmamenti, in hebdomade planetarum, quibus Sol tanquam cor medius est, quandò ipse alijs omnibus lucem ex æquo fæneratur; Luna pedes, quià quàm citissimè curriculum suum absoluit; Saturnus denique supremus, & tanquam caput, vtpotè maturus, & totius itineris senio ipso consultus? Hic ergo conuenire perfidiam vellem, & coërcere supatis, quamcunque lancem suo calculo premant; nam, aut hæc quæ vos mecū mirati estis, vobiscum meditati, hæc in quam illi, aut ipsismet (sibi quodque) adscribent, & iam

vic-

victi sunt; aut externo auctori, & nos vicimus qui non aliud molimur.

Ac enim Athei (quis crederet) in tàm illustri meridie veritatis, nubes & noctem inuenerunt, diuerticula casus & fortunæ, quibus tamen vim rationis fugiunt tantum non euadunt. Scilicèt tellus casu grauitat; accidit quod Cælum non cadat; atque ità alia, quorum catalògum texui, autumant illi omnia fortè, nihil arte fieri, absurdissimè sanè, & perquàm amenter, quùm non solum Naturæ partus alterii, sed iudicij opera tribuant temeritati. Etenim, (vt expostulem cùm his tam exoticis rerum fabris, & argumenti mei aciem obtundam popularibus telis vsurus;) Quandò illi assignabunt non dico Vniuersum aliquod, aut Prouinciam; sed vel vrbem, aut ædem; quæ casu in eam formam coiuit, vt prostarent

fundamenta;parietes surgerent, emineret tectum, portæ cardinibus verterentur. Adhuc imminuar; quandò mihi adferent, vel imaginem horum, quam fortuna sola depinxit. Denique ludam, & vtar cithara, quam ad numeros suauiter canoram nemo vnus à se ipsa cieri putabit, quin adesse Apollinem aliquem, aut Orpheum, qui pernici articulo, & artificioso per fides illas sinè errore erret, & ictus omnes, ac notas itum, & reditum suo quodque interuallo metiatur. Si ergò horum tenebrionũ nullus neq; imaginem aspexit, quam colores tumultuariè imbuerunt, nec citharam casu modulantem audiuit, neque deniq. domum incessit quam sola sors sic ædificauit, cuiusmodi nos reputant fungos, aut pepones, quibus, si Deo placet, persuadeant machinam hanc tot orbium; terrarum, aquarum,

auræ,

auræ, in qua omnia, etiam habitacula ipsa hospitantur, ruisse tantum in se partibus suis præcipitatam? Audebunt (si tamen) asserere, concordiam hanc discordium Elemẽtorum, sphærarum se radentium concentum inertiæ casus imputare. Dicent denique in illo leuissimo fornice Cælorum tot imagines pecudum, hominum, etiam Deorum faberrimè picturatas non alia ratione, quàm nulla, non minore temeritate, quàm quæ maxima, eo concurrisse. Dicant sanè, sed vt sciantur ipsi insani; prætendant hanc vmbellam errori, vt eum à puluere, & sole tueantur.

Sed age, esto omne, quod autumnat; sint Sibyllæ folia, quod scribunt, Delphi oracula quod loquuntur; id saltem me doceant: Si Tellus in imum cecidit, siuè, casu centrum occupauit, cur aliquandò ad circumferentiam non natat? cur

infrà

infrà se aërem non premit? & si qua opera liquidis Elementis superfertur, non ibi hæret, quin indè velut vnda è ripa in alueũ relabitur? Cur ignis non modò sidere non potest, sed nec subesse? Sanè, quæ casu cuiquam accidunt, abeunt etiàm in procinctu; labor est ea continere, quoniam non renititur passum iacturæ, sed indulget. Deniq; sit casus omnium causæ, Fortuna in Reipub. nostræ digestis vtramque paginã scribat; an perindè excluditur vniuerso Deus, ac non potius infertur, & nos vtrobique aërem tundimus de nominibus digladiati; quoniam hoc quod tu casum, ego Deum intelligo, vniuersorum causam ab effectibus distinctam. Salue ergò summe Deus, antiquior principio, fine posterior, cui nec sors præiudicat, nec vis obsistit. Tuo plectro ille amabilis concentus cælorum, etiàm Elementorum,

auditur. Tuo periculo firmamẽtũ tingitur, & exponit tot exercitus simulacrorum. Qui tàm præsens rebus quàm quod intimum; tàm vtilis, quàm optimum; vt, si fortè Vniuerso abesses, arte fores accersendus; & ego iàm denique plures Deos potiùs, quàm nullum debeam cauere.

Ità succreuit hæc seges, tàm libenter homines retrò seculorum Deos audiuerunt, vt eos pro acceptis beneficijs numerarent: ad speciem grati, certò autem iniurij, & sacrilegio (quales?) religiosi. Nempè, tàm pugnat rationi multus numero Deus, quàm nullus; Ille, aut vnus est, aut deest, &, vt sit, est solus; Illa numerum facere possunt quorum singula Naturam non exhauriunt: quùm quidquam totam ipsam æquauit, frustrà aliquid expectes, nisi idem repetatur. Et obsecro, quàm ineptum est aliquid cùm

Deo diuidere; & si quidpiam, an non maximè Deitatem: quod quidem ratione omnes didicimus; sed nescio, quomodò magis experientia eorum docemur qui aut conferre partiariam Deitatem voluerunt, aut admittere. Nàm quid lubentius rideas, quàm illos quadrantes, & trientes Deorum: quorum vnus aquis, alter auræ sic imperarent nè quis quid alterius tangeret, nisi mulcta feriendus? Quam insignia illa, insignia Deorum, Vulcani malleus, Neptuni tridens, Mineruæ colus, falx Saturni. vbi vi. deas ex hac licentia augendæ Deitatis, rupto semel aggere, eo increuisse numerum, decreuisse æstimationem Deorum, vt iàm tandem Dijs fabris, & sutoribus vteremur: Et hoc quāquam maximum, sed vix aliquotū est in ijs momentis, quę stateram hanc coercendæ Deitatis grauant. Qui mechani-

cum

cum Deum nollet, vellet fortè mæchum; videret impotentē animi, laxum, seditiosum, nec exemplum tantùm, sed fomitē sceleribus præbere? Illud prostibulum Veneris, illam insaniā Martis, Mercurij fraudes, & alia sexcenta, colluuiem nebulonum, quorum apotheosi factum est vt homines iàm denique vitia ipsa adorent. Proh fidem qua crediti sunt, religionem, qua culti; aras, quæ ijs numinibus surrexerunt, quos æquius in compedes, & ergastusa compegisses. Et quæ obsecro amentia generis tunc non humani, cultores horū religiosi, imitatores sacrilegi erant. quod in Diuis hostia colerēt, ipsi mulcta, & morte persoluebant.

At (inquies,) ista fabulæ sūt, quæ Ilias aliqua, aut Aeneis lusit; Certè esse deberent; Atque vtinam hæc in Helicone solo streperent ludibria poëtarum, ac non magis historiam in

in se certam, illis inuisam, nobis sacrosanctam implerent. Nõ audis, quisquis hæc infers, non legis, nondum odisti Dagon Samuelis, Belum Danielis, Adonidem Hieremiæ, Belphegor in Numeris, Naneã in Machabęis Mercuriũ in Salomone? Nõ Sephæ pauonẽ coluerunt, Hemathæi hircum, Sidonij ouem, Accaronitæ muscas, Palestini piscem, Cirthęi gallinam, Aegyptij iuuencam? Iudæi vitulum, Chaldæi ignem. Iam verò hanc contumeliam quomodò lacessitus Deus cõcoqueret, quo stomacho tam palmarẽ iniuriã exciperet nè referret, & euomeret non modò in auctores pseudolatriæ, sed in obiecta? Sanè ipse hic maiestatẽ suam opportuno stratagemate vindicauit, quùm triũuiros suos veræ latriæ reos, ac proindè fornace damnatos, in ipso ab ipso defendit; quum sæuiẽs flamma, & ipso incrementi sui numero in vltionem armata

lam-

lambere prædam suam cœpit, & non modò nihil percellere gradientes, sed & flabello mutata ventilare; nec aliud quidquam edidit tàm insolens ardor, nisi infirmitatis suæ certissimam fidem. O potentiam termino absolutam, Deo dignam: ò sapientiam meritò huic brachio coniugatam, quæ perduelles in idolis suis plexuit, & mentita numina bello dedignata ludibrio excepit. Sic Aegypti animalibus vesicas, nescias quo distendit, vt bestias dolor, homines pudor contingeret. Sic sydera illa Solem, ac Lunam, duos oculos Orbis, Eclipses pati voluit, & suo lumini superesse, vt palam fieret nullò minus prædita quam Deitate illa astra, quæ quod habent accipiunt, quod accipiunt, perdunt. Vt sciretur Sol Dei Luna esse cuius benigno aspectu impletur; ac denique exploratum esset, nihil Dei, nisi nomen

men indigniſſimè habere illũ, qui ita diem ſpargit, vt noctem ſubire debeat, & maculas aliquot in tam bello vultu circũferre. Quæ quia non omnibus patent, alias eſſe Deus iuſſit quæ facem tam ardentem extinguerent, certè autem ſpatio aliquo, & atramento velarent. Et factum, ipſius dictu, noſtro bono, qui in obſcuro illo, & atrato Sole plus cernimus, dum deniq. videmus ſidus illud vmbratile alterius opus, nullius Deũ eſſe. Ita plus ſapimus cæcitate, & lumen oculis noſtris ereptum, mentibus reddi gaudemus, vt in tenebris aliquid ſ ſaltem caliginẽ ipſã, velut Socraticũ dogma, hoc eſt, nihil nos ſcire ſciamus. Et quoniã noſtra demũ oratio incidit in hoc nomẽ cui omnis retrò antiquitas aſſurrexit, vtar occaſione, atque in rem meam casũ conuertã, vt demonijs latriã captantibus negem, vſurpantibus eripiam, & quanquam argumen-

tis

tis destitutus, sed suo ipsa calculo aris omnibus, & vsura Deitatis, tanquam alieno fastigio deturbem. Hìc nimirum ille Socrates est, qui acceptam per manus sapientiam atque à Pythagora, & Empedocle tot spectris, & nugis adulteratam, quasi corruptam virginem integritati suæ reddens, philosophiam tot fabulis defęcauit: Qui à Delphico Apolline ex illius tripodis Aplani sapientissimus mortalium iudicatus; hic inquam, hic ipse Arithmeticam sui temporis in diuino censu indignatus, Deum solitudini suæ reddens, affirmauit eum tam simplicem vt partes non haberet, tàm vnum vt numerum non faceret: Ipsum entium phænicem esse, nec coniugio aptum, quod parem habere non posit nè semel quidem; Cæteros, qui eo titulo gaudent, vasa tantùm esse sono tumida, solido omni des-



situ-



tituta, O sententiam meliori seculo dignam, sequenti æternitate venerandam, atque olim in cœlorum lamina characteribus syderum describendam. Et quis hic tàm Andabata, aut Parabates non videat Apollinem oraculo suo iugulum suum petijsse; quoniam, qua auctoritate Socratem dignatus est, seipsum spoliauit, quandò solum eum sapere dixit, qui solus ei vsurpatam authoritatem, etiam nomen Dei detraxit. Et tamen (audite) Areopagus nescias quid suprà ferulam sapiens, & Apollinem corrigere ausus vt defenderet, Socrati palinodiam imperauit; sed ille stetit ibi acer, & hæsit, tanquam Firmamētum aduersis orbibus obnixum, Septemuiros Græciæ velut erratica astra secum rapere tentauit, nihil ipse à periodo sua obliquandus. Ita exilium impleuit, cicutam hausit, vt legitimo curricu-

riculo ab eodem puncto vnitatis in idem verteret, quanquam proinde ad occasum, & mortem præcipitaret. Vidit namque vir consultissimus polytheos illos cum numinibus errores multiplicasse, nec potuisse vllum Deo adijcere, nisi exciderent argumento, quo vnum ipsum collegerunt. Nempe illi ab infimis ad superiora gressi, ex hac Orbis administratione tàm exacta, ex Elementorum libramento tam scrupuloso, atque omnium pace inter singulorum pugnas admiranda, æquissima trama intulerunt externum opificem qui concordiam moliretur. Et hi tamen, nescias quo æstu abrepti tam perfecto enti, velut absoluto circo paralellos descripserunt, non intelligentes se, quo ausu plures Deos inducerent, vnum illum iugulare. Quomodò enim staret ille rerum ordo, illa ordinis constantia inter tot

tot capita, qui tam heteroclitè imperitarent? Quàs tragædias non miſcerent reguli illi inuicem occurſantes, & obuia quæque tanquam prædam depopulati, importuno ſtratagemate pacem bello moliti, exēplo ad repugnandum inuitantes. Nempè (nam quidni?) horum aliquis veris amœnitatem mallet, alter autumni prouentus: hìc autem inſtabile tempus vt ſtaret? vt pergeret? an potiùs ad motum trepidationis prouocaret? Puto equidem nemo tam luſcus eſt, qui hæc etiā per palpebras non videat, ſine ſtudio non intelligat, vt ne poſſit quidem neſcire. Deſit enim ratio, non deerit experimentum, quod hucuſque æui vbique regionum, gentium, rerum ſiue publicatum, ſiuè angularium, ad nauſeam (vtinam ſolam, ac non etiam ad perniciem) abundauit. Quam duorum ligulam non perrupit

im-

Impatientia consortis? Cognatos in sanguinem, fratres in alterutrum, familiam in se ipsam armauit? Pietatem in parentibus, obseruantiam in filijs, obsequium in seruis, fidem in omnibus extinxit. Thæbeis duumuiris quàm pertinax ira, & in ipsa morte immortalisquę cadauerum flammas diuaricauit? & hos tamen ad mortem ira compulit, ad iram impatiētia consortis in principatu, de quo Thæbei gemelli post mortem, Hebræi etiam antè ortum certauerunt. Quid notius auspicijs imperij vestri (Romani,) penduli olim, & pœnè in cunis extincti, cum Alcidis instar geminos angues, hoc est, fratres de primatu certātes exciperet; nè miremur illud deindè adultùm ruisse Cæsaris, ac Pompeij simultate, qui affinitatem tantùm ad consortium attulerunt. Amauit Polytem Herodes, sed occidit; Hircanum, sed extin-

xit; imò etiam vmbram suam odisset, nè nesciretur in fastigio illo, tanquam Sol esse solus. Et quid quærimus, nonnè mõstrum est, si in corpore sit vltrà vnum caput? Bipedia, quadrupedia passim offendis, & in homine, qui archetypus animalium est, vix organa vlla videas, nisi gemina, & paralella, tẽpora, aures, nares, oculos, brachia, crura, poplites, pedes; summa, omnia solitudinẽ oderũt & captant numerũ, præter caput. Ita artifex sententiã suam tot scedis, quot corporibus, tot litteris, quot membris exarauit, scilicèt omnia præter primum, plurima esse posse, idem summum esse, & solum. Videsis etiam, an non ego iterum ex natura ipsa hoc idem necessaria trama deducam; Quidquid enim à centro in altum surgit, simul à medio Vniuersi, & à spissitudine sui recedit, pyramidem reddens; ità est in-

cli-

currium pinnis, in montium cliuis, etiam in leuissimo igne, qni ipse quoque ascendendo decrescit, & latitudini detrahit, quod altitudini adiecit: vt omnia hæc quum plurimum creuerint, necesse sit apice terminari. Quod argumentum si materia defæcatum à molis quantitate ad illam virtutis trahas, quid tibi loquetur, nisi fastigium illud quod in infinitum creuit, non posse nisi puncto, hoc est, impartibili aliquo cōtineri; atque ità Dei pluralitatem tàm esse desperandam, quā frustra expectes vt quidquā partes reddat quas non habet.

Nollem nimius esse, neque tamen ex hac scena abire possum, nisi relata Trismegisti sententia præsenti argumento mirum quam opportuna; nempè ille Deum definiens, immensitatem animo, vnitatem calamo voluit, aiens sphæram eum esse, cuius centrum vbique est,

circumferentia nusquam. Benè, affabrè, & ad rem nostram accuratè: Nimirùm ego hinc eruo Deum punctum, hoc est impartibile esse. At (inquies) qua fronte? vnde loco, quali intellectu illius qui palam pronunciauit Deum sphæram esse, in qua scimus dimẽsiones omnes contineri. Sed esto id sanè, ego ex Trismegisto repeto Deū punctum esse, nec nisi ipsum: quia nimirum, cum centrum eius vbique sit, nihil eius vspiā est, nisi apex. Hoc, nisi fallor, aduersario satis, mihi non item facit, nisi huic strophæ Mercurij Peripateticam subnectens, assumam, punctum alio non augeri; quod si superaddas, coibit in præcedens, protinus ab ipso sorbendum. Quæ emphasis veritatis fanaticam hanc turbam Deorum toto prosceennio deturbat, ram, vt sit ille auctuarius Deus, in primum recidet protinus ab illo absorbendus

dus, vt non modò nequeat plus eo esse quasi maior, sed neque alius tanquam diuersus. I ergo quo meritũ vocat vulgus Deorum, colluuies, fex, & verè turba, inuenta à poëtis, intrusa à tyrannis hallucinanti seculo, refraganti cœlo: Monstra ab inferis ructata ambitione, puerpera, stultitia obstetrice. Meum fuit, imposturis vestris fidem, laruam personis detrahere, nè posthac quempiam, aut opprimeretis numero vestro aut alliceretis nomine, quanquam nec vestro. Liceat mihi iam denique tot cœdibus, hac gigantomachia defuncto currum triumphalem diuinæ æternitatis, velut carpentum gloriæ Dei, per cadauera perduellium agitare, vt eo magis credatur ille immobilis vitæ, quo videtur tot stragibus idolorum superesse. Et quidni superesset, qui præfuit?

Nascentia terminus urget

Durare possunt aliqua post exordium, sed illa solùm desinere possunt, quæ ceperunt.

Tempus edax rerum est.

Sed illa solùm excipit, quæ metitur. Nam cui non intellecta illius tyrannis in Saturni gula filios deuorantis? Ita etenim tempus edit ea quæ edidit; neque eripit nisi quod præstat; atque adeò ingenitis non est timendum, scilicet vni Deo, sphæræ illi, cuius centrum, vbique, hoc est, vndique medium, nullibi exordium est. Quamlibet minutum in directum mouetur, aliquando metam lationis appellit: quod in orbem vertitur vtut ingens, immane, vastum, vehi poterit æternis voluminibus rotatum. Et cur arbitramur; nisi quia,

Orbis

Orbis in ſe recidit, nuſquam auſpicandus; rectum, hinc indè obſeſſum, quaſi prora, & puppi cuſpidatur. Ita, inquam, definitæ naturæ metas, & clauſtra vitæ habent quibus coërcentur; Infinita verò, quorum vndique medium, nullibi vltimum eſt, tempus omne abſumunt. Propter quod (credo) Pythagoras voluit Deum circumactu corporis adorari, tanquam hic gratiſſimè videret eū motum, ſitum, figuras, in quibus æternitas eius videatur. Et Apoſtoli nos ad Orientem conuerſos iuſſerunt Deum orare, quem ſcilicet ſemper oriundum in æterna iuuentute crederemus. Sed & ipſe apud hagiographos ſuos hanc vitæ ſuæ Heben libentiſſimè tot ſymbolis celebrauit; Hinc etenim Moyſi, quùm aperire vellet peculium illud nominis tetragramaton (infabili naturæ vltra omnia opportunum,) apparuit

in igne quirubum impunè lamberet; innuens vtique, sic sibi ardorem iuuentutis subesse nè seniū sequatur, & quam maximè eum nostra mortalitate abesse, cuius nihil inter tot incendia in cineres solueretur. Hinc intelligo apparatum throni, quem princeps propheta, tantùm non Euangelista, Isaias vidit loco supremo elatum, Deo insidente plenum, atque vtrinque circumstantes Seraphim ita basim throni premere, vt explicatis alis vmbellam capiti, pedibus siparium adferrent, nè quid eius cuipiam nisi medium appareret; nam quid erat, duo illa in Deo, verticem, & vestigium occulere, nisi principium, & finem ablegare, & Trisinegisti sententiam alijs verbis asserere, scilicet illius circumferentiam desperandam esse, cuius cor, id est centrum duntaxat videretur. Ita est enim (A A) adolescit adhuc Deus, sed matu-

curus; viuit secula, sed simul, vt illi neque hora aliqua alteram præcipitet, nec diem nox absorbeat, quin plura simul cōplectatur inuicem auulsa, illi innexa, cui nondum hesterna præterierunt. Paradoxum sanè est humano captu maius, vt quisquam labentia sistat, lapsa degat, & iam interim ea æui spacia viuat quæ nobis historiam, & fastos faciunt; vt quùm exhauserit ea, nondum vixerit, hoc est, nihil illius in præteritum transiuit. Qualis ille, cui oriri Soles possunt, nec abscedere; anni sic crescere, nè se premāt? O ambitus æternitatis nihil nō complexus; dies æterno solstitio definiti, quorum tempus mensura quietis est: Quid nobis cùm hoc nomine commune? quantum hic humana superbia detumescis? Tibi vita omnis momento constat, tanquam iaculum in cuspide statutum; futuro nondum frueris,

præterito iam defuncta, præsenti niteris, quod insectile esse debet nè contingat succedentia sibi constare: angustijs tuis premeris, nè quid æui, nisi quã minimum absumas: Dimittere habes quod viuis, vt viuas quod addendum est; velut simpulum bis distendi non potest, nec aliud bibere, nisi quod habet eructet. O miseros, quos sic viuere contingit, & adhuc se credunt morituros, quando inter vitæ ramenta non intelligunt se in dies meti. Proh Deum solum annis præditum, nec dignam vitæ nomine, nisi immortalitatem. Illi ergò par est vitæ titulum, palmam æuitatis assignari qui mortem cum ortu proscripsit, nec desinere potest quia nec cœpit. Quacunque vetustatis retrò nictum cogitationis expedias, ibi ille occurret iam ortus, nè vnquam cunas eius, aut crepuscula, nisi minus quam Nili expectes.

Pro-

Propter quod ſapiam ego, ſi cecinero receptui, & orationis meæ filium incidam, nè quandò me putem inorabile argumentum poſſe, aut ſequi ſi auſim, aut alſequi ſi ſequar. Ita infinitatem eius compédio dictionis inuoluam, vt quem terminum ex obiecto non habet, ab auctore accipiat; atque ita iam denique ad alteram orcheſtram, velut à tempore ad locũ, ab æternitate ad immenſitatem excurram. Quanquam quid ego, quid vllus de diuino loco dicam diuisè, ac ſeorſim; qui enim tempus omne degit, non poteſt anguſtiùs quam vniuerſo loco habitare. Supereſt tamen quod de hoc quoque addam, etiam partiariè, ac diuiſim, quod ſcilicèt ille quadantenus laxius habitet quàm viuat, fuſiùs ſubſtantiam, quàm exiſtentiam ſuam protendat; quoniam qui non durat niſi vera mora, implet etiam imaginem, & fa-

bulam spacij. Prostat ibi Deus, vbi locus extendi non potest, etiam nec stringi. Locus quisq; alicubi desinit, ille nusquam; vndique præsens quoquo appellit, trans lineas, vltrà superficies, infrà omne profundum; vt si rectè calculum ponam, definire debeam, Mundum in Deo esse; neque solùm ab illo factum, sed in ipso. Ille corporibus locum dat, locis spatium, vtrisque se ipsum in quo omnia sedent, vt si insipienter, hoc est per impossibile eum Mundo negares, iterum omnia ruerent, subducta cùm auctore basi. Illi locus non sufficit, quia definitus; ipse locum excipit quia immensus, etiam in hoc genere creditorem agere debet, nunquam reciprocandus. Et verò, vt huc tertiò Trismegistũ adducam, vbi Vniuersi nostri ille habitet, cuius centrum solum illud omne distendit? vbi eius peripheriam excipiet, cuius

me-

medium locat vbique? Planè hic ego oratione imminuor, admiratione obruor, ipsa, qua nitor ratione fatisco, quùm cogitatum meum ad vastitatem hanc diuini domicilij emittens video quaqua versum laxari caueas, fugere altiùs fornices, fundum dehiscere, loca locis seri. Hinc illud inuolucrum, & seges spaciorum nunquam desita, semper cæpta, quæ quoniam suam vndique circumferétiam pati debent, diuinam includere non possunt: Atque ego abire hinc nisi in nihilum, non possim, proindeq; stylum meum statuam, tanquam scipionem in hac ripa defixum, pie deinceps Oceano immensitatis, quasi tépestate iactandus, vt aliquid in nullo deprehendam; imò omnia, hoc est, Deum, qui quoniam omnibus eminet & exstat, debet denique in chao degere, & tabernaculum maiestatis suæ in nihilo collocare. O chaos iam di-

diuinum; En nihilum maximũ, quandò immensum. Neque est, quod ego ampliùs patientiam vestram obtundam aliarum eius virtutum recensu, quas non dubitatis omnes esse maximas, qui nouistis singulas esse infinitas. Nihil enim in Deo est nisi diuinum, ac proinde optimum; nihil nisi alteri par, & vel indè maximum, quũ sciamus, aliquid esse immensũ. Propter quod placet adhuc vti illa Trismegisti sphæra, qua non aliud velocius hoc stadium decurret; si enim Deus sphæra est, imò quia sphæra, etsi intellectualis, iam omnes lineæ à centro ad circumferentiam eius ductæ æquales erunt, hoc est, omnia quæ vocamus Attributa, & ab intimo, seù essentia eius emanant. Aeternitas immensitati par est, atque ità longissima: Immensitas potentiæ, ac proindè maxima; Sapientia omnibus, & vel indè infinita.

Im-

Immensitate eius nihil vacuũ, potentiæ nihil fortuitum, sapientiæ nihil admirandum; vt neque quispiam vitare possit eũ qui fugienti vbique occurrit quia immensus; nõ latere illum cui tenebræ lucent quia doctissimus, & minus quispiam expugnare eum speret cui omnia militant virium stipendijs auctorata, quia omnipotenti.


Propter quæ equidem existimo, non tam nitendum esse nobis, vt excellentiam Dei, quã reuerentiam eius addiscamus, & cultum, quem in hanc orationis catastrophen placuit differre, vt quomodo aura qua nauis impellitur, puppem inprimis verberat; ità hæc ad honestatem parænesis ab epilogo orsa, vltimam aream memoriæ scilicet tenacissimam accipiat. Nàm quid nos conficiemus ex hactenus prẽmissis in asserendo Deo, ac diuinis vnitate, æternita-

nitate, immenso, nisi damnandum atheismum; latriam idolis, idola orbi neganda, & deturbanda esse non solùm templis, & cultu hominum, sed vel maximè opinione; vt in audendis sceleribus lentiùs festinemus cõscientia præsentis numinis, quasi repagulis coercendi; certi, sartique quod in Dei oculis omnia, etiam in sinu agimus; ipsum actionum nostrarum iudicem, habemus testem. Nè nesciamus posthumam æternitatem nos etiam manere, quam quemque necesse erit implere siuè inter excubias Seraphim in augustali cælorum, siuè inter ægyptios rubos pascua ignis nunquam depascẽda. Atque eò denique, vt festinemus dignis itineribus ad illius aspectum quem didicimus tot titulis absolutum, existentia necessarium, vnitate innumerabilem, æternitate longæuum; immensitate vastum, iudicio

pro-

profundum; ſanctitate optimũ, poteſtate maximum, maieſtate ſolum. Quo ità nos etiam anchoras in eo figamus, habituri quod votis omnibus omnes in eo proſequamur, ſi quandò volumus, & vero velle debemus eum credere veracem, ſperare propitium, bellum admirari; monentem audire, minantem timere, vndicem præuertere; adorare maximum, amare optimum, chariſsimum amplecti.

PROLVSIO PRIMA EST.



PRO-

PROLVSIO

Secunda.

De Sanctissima Trinitate.

DOleo equidem legitimum, propriumque hodiernæ dictionis exordium eorum intemperantia præreptum, qui risibili industria, in primo spiritu expirant, & exhauriunt se, certè autem fatentur exhaustos: Aut nimij sunt, aut nulli; nesciunt incipere nisi vt simul desinant, argumento impares quod non extollant (inquiunt) nisi tacendo. Quanto satius dictionem obiecto, tanquam fides acroamati commodarent, vt

quod-

quodque vnum suo metro æsti-
mantes parua demissè, maio-
ra temperatè, summa altissi-
mè intonarent; aliqua etiam
infrà se ducerent, quibus nol-
lent maiores ipsi impédi. Quod
si illi stultè renuerent, sed nō
ego similiter debui permitte-
re ius meum mihi eorū iniu-
ria auferri, quin potiùs con-
fessionem hanc impotentiæ tā-
quam Sabinam per vim rap-
tam huc reuocare, vbi illa,
quoniam deitati impenditur,
vtique patria, & centro suo
sedet. Deus siquidem tùm prò
dignitate (et si nè tùm quidem)
dicitur, quùm dici non posse
decantatur; nec quidquam
in suis laudibus libentius à no-
bis audit, quàm quod velit
tantùm, non possit per nos ce-
lebrari. Quod si de illius na-
tura sit certū, (vt est apud om-
nes certissimum,) quid de hy-
postasibus dicemus, in quibus,
quia natura repetitur, difficul-
tas

tas in singulis redit. Et, siuè cum personis numerum faciat, siuè, naturæ instar, vna sit sæpè vincenda, vtcunque, ipsa humanæ eloquentiæ modulos superauit, nunquam eloquenda.

At inquies: si hæc quam loqueris Trinitatem, possibilem conatum excedit desperatione tantùm assequenda, quorsùm tu illi dictionem, huic tẽpus impendis, iacturam olei facturus? Sanè, si exprimendo argumento, temerè; si adorando, religiosè; vt pietati militat, quod virtuti detractum est; vt tentemus plusquam possumus, quandò etiam id assequi non possumus quod tentamus. Nàm qua die regi hæres nascitur, reipublicæ princeps, àn putatis vlli eius prouinciæ oratori liberum esse loqui? Quum ipse Augustus sponsam in consortium thori, etiam maiestatis admittit; posset

ſet quis impunè tacere, ac nō magis orator ſuo muneri periculosè deforet ſi ingrato ſilentio publicæ lætitiæ defuiſſet? Et eccè vtriuſque articuli occurſum; in hac quippè die eo æternitatis deuoluimur quo auctor vniuerſorū quum Deus eſſet, Pater euaſit, & ſuſtulit ſibi hæredem, cum quo imperium diuidere nollet, vellet continere. In hac inquam, die ille æſtus amoris inter duos illos tanquam ſpecula reciprocus tertium edidit tàm vtriq; charum, quàm ipſam ſingulorum charitatem. Hic quis taceat, niſi etiam obmuteſcat, quis oratoris nomen retineat niſi opus impleat, tam diuiti materia, tam diuina. Ego quidem dicam etſi non poſsim, vt videar ſaltem voluiſſe: ſinè nominis arrogantia oratorem exhibebo veſtri ſaltem (AA,) id obſecrans, vt excipiatis patienter lentè ea diſſerentem,

quæ-

quæ aliquandò fusè, nunquam ſatis dicuntur; quæ quia naturam noſtram excedunt, non poſſunt captui ſubeſſe, & ideò latius dici debent, vt deniq; honeſtius neſciantur. Neque tamen ego orationi meæ habenas, aut his campum permittam, quin eam quà potero, ingyrum, & circum reuocabo, id tantum cauens nè breuiſsimus ſim, atque ideò non breuis, nè obſcurus. Illigantur obiecta compendio verborum, illa maximè, quæ magna ipſa ſunt, vt veluti aromata pixide circumſcripta delectare circumpoſitos non poſsint illa, quæ alioqui laxam aream, & ſinuoſam dictionem adepta ſuam famam cum noſtra voluptate propagarent.

Itaque in tota Trinitate duo tantum (ſi tamen & ipſa) attingam, altitudinem eius, ac veritatem, vt quà fas eſt oratori in aliena meſſe peregrino,

itá

ità vos huius myſterij cõſcientia imbuam, vt perſonarum in Deo multitudinem eſſe incomprehenſibilem, nec eſſe impoſſibilem credatis. Cætera, quæ Dei ſunt, etſi longo interuallo humanos obtutus fugiunt, nunquam aſſequenda, ſic tamen abſunt vt ſubſint, & quæ comprehendi non poſſunt, poſſint deprehendi. Neq; enim quiſquam tam ſtupidus eſt, vt eſſe Deum non intelligat, & ſi eſſe, certè intelligere, ſapere, ac pollere ea virtute, quam in opus ſuum effudit. Nam quis ambigat poſſe eum facere, quod fecit? ecce facultatem. Quis neſciat illum incipere non poſſe, qui à ſe eſt? vides æternitatem, quam qui Deo deferet, certè etiam infinitatem aſſignabit ei qui ortum & occaſum, id eſt, vndique fines proſcripſit: Eadem trama quiſquis hic textor, immortalitatem ſimul,

vnitatem Dei ſæpè, Trinitatem nunquam deducet. Quia nimirum, quandò hic interim exulamus, nec poſſumus recta acie ipſum laceſſere, ſupereſt tantum, vt poſtico eum aggrediamur ex operibus auctorem inferentes, certo argumento, ſed trunco, in quo quæ plurimæ in Deo ſunt hypoſtaſes quàm minimè lucent. Et ecce vndè; nempè ſi quis ædē videat ſuperbè conſtructam; adgnomas quaſque artis, normam, libellam, perpendiculum, nō tàm habitationi hominum, quam admirationi erectam, læuiter pauitam, cyclicè fornicatam, proiectis, immiſſis, Atlantibus, delicatè, & tamen ſolidè innixam: Hanc, (inquā) quotquot aſpicerent, actutum artificem cogitarent, & in illo ſcientiam, induſtriā, felicitatem. At vero iſte tantæ gloriæ hæres, qualis, quantus fuerit, cęlebs, an cum coniu-

niuge, sterilis, an filiosus, orphanus. vitricus, priuignus, agnatus, fortunæ alumnus, an abortiuus, hæc, inquam, atq; id genus quæstiones, neque quisquam omnes, neque omnes quidquam penetrarent. Ità planè Deus, quia Vniuersum hoc, velut ædem suæ gloriæ, nostræ necessitati molitus est; quisquis bona sorte in ipsum nascendo inducitur, magnum opus, at non solum videt, quin in opere auctorē. Hæc ædes, hoc Augustale Vniuersi tot numeris absolutissimum, fabrum declamabit, Deum vtique, sinè quo opus non placuisset, minus multo quàm sinè architecto fabrica, quando Mundus hic à Deo nō formam modò, sed materiam accepit. At vero hic tantus cui quislibet operum eius testis in ærario cogitationis suæ mercedem gloriæ assignat, qui intellectui nostro etiam non quę-

situs occurrit, sic ab operibus discitur vt illius plus interim nesciatur; natura eius colligitur, hypostases ignorantur; virtus fortè cernitur, numerus certè non penetratur; neq; nos hactenus inter tot didascalos creaturarum de Deo vnquam discere potuimus, fœcundus, an siccus fuerit; prolis expers, an alicuius pater. Et, si hanc propaginem qua nos crescimus, generationem inquam, non potuimus in Deo notare, quis qua diphthera diuinaret genus illud Dei non gignendo solùm, sed spirando potuisse communicari? Planè hic Herculi cuiuis Calpe, & columnæ statæ sunt; hucusq; duntaxat puluerem Olympicũ colligere possumus, vt ingeniorum quadrigæ quanquam curriculo, & furenter raptæ, sed citra hypostasim Dei, certè intra illius multitudinem metas sibi positas esse nõ doleant,

tan-

tantum sed experiantur. Nisi fortè scopum attigisse puteris eos qui vnius simplicitate non contenti, multa idola, totidem sibi Deos finxerunt. Sed video vos nihil minus approbare, quàm insaniam hanc vltra omnes reprobandam.

Vndè etiam alter clinus surgit fidei nostræ, meæ orationi, quoniam quum difficulter cogitare possimus plures deitate præditos, quod est necessariũ, nisi totidem Deos numeremus quod est execrandum, sane veritas arctè habitat, & suo loco; id est, medio sedet. Atque ego, qui in hoc Oceano Trinitatis vela facere statui, ita mihi moderari interim debeo, & dictionem meam in personarũ numero ita à Iudaismi vortice cohibere nè eam in Deorum multitudine assertam ad scopulos Gentilitatis allidam. Opus aleæ plenum, in quo nõ desperare sine aliqua despera-

tione non possum ; nempe, hic locum , & suffragium habet , quod olim Pittacus asseruit dimidium aliquādo toto maius esse ; quamuis enim & secreto ductu rationis , & publica voce naturæ scienter calleamus plures rerum auctores repugnare, siue, impossibiles esse multos quibus omnia sint possibilia, atque adeò illum populum Deorum, quem olim gentes adorarunt nil diuini nisi nomen habuisse ; tamen medius fidius leuioris operæ negotium quibusdam fuit maiestatem Dei multitudini illi permittere , quàm ad hanc paucitatem reuocare Atque vtinam non hoc dubio certius fuisset, vtinam non id nobis eorum ruina probasset, qui olim magna nomina , studio felicissimi, fama maximi, ingenijs diuini, polylatriam tot numinum Christiana simpli-

plicitate castigantes, omnia audire potuerunt præter Trinitatem, quam tot medijs tentatam, retentatam quum denique concoquere nescirent ad vomitum suum, & deorū latriam infælici postliminio redierunt. Ex his Auerroes, ex his Porphyrius fuerunt, qui cætera quæque Ecclesiæ dogmata volenter amplexi hactenus crediderunt; at vero, vbi ad fidem Trinitatis itum est, protinùs, velut insolenti cibo, stomachum expilante, etiam quæ hauserant, vomuerunt; Sed & ex nostris non nemo Ecclesiæ vtero natus, mammaaltus, hoc mysterio, velut œstro perculsus, extra chorum saltauit. Arius, Photinus, Sabellius nonnè hic impegerunt? & cum in Petri nàue secundis austris fęlicissimè vela facerent, sed denique in has hypostases fide ducti, tanquam de nocte in Syrtes impacti, nau-

fragium miserandi fecerunt. Vsque adeo hæc hypostasium in Deo obstinata difficultas humanis intellectibus crucem fixit, vt post tot periochas seculorum, inter tot auctorum commentaria; prædicata gentibus, explicata prædicantibus, credita populis; celebrata, culta, confirmata, religione festorum, apparatu ædium, Martyrum confessione, sed interim illa latibuli sui tenax inter tot præsidia assensus præferret quod intellectui subductum admirationi propinaret; & inquietus quisque, Ecclesiæ pacem inuidens auidissimè ipsam materiam turbarum amplecteretur. Ille, quem audistis, Arius irritamentum diuortij sui ambitum habuit, siuè prætensi sacerdotij repulsam; sed hæc cui doleret præter candidatum? vt ergò pœniteret omnes, hinc ille fidem Trinitatis tanquam fomitem

ap-

apprehendit flammæ conci-
piendæ aptissimam, quam
deinde rationum follibus, &
dæmoniorum flabro ventilans,
homuntio vnus ea incendia
explicauit, quibus Ecclesia
orthodoxa paulò minus atque
altera Troia conflagrauit.
Sed & Seruettus, & post eum
Valentinus Gentilis, quum
ipsi quoque familiam ducere,
& sub signis suis ordines colli-
gere statuissent, mysterium
hoc capesserunt eo operis suc-
cessu, vt quamquam neque
armis freti, quin ætate ipsa
destituti, quum diuinum Triũ-
uiratum ad solitudinem redu-
cerent, sequaces sui in Dacia,
Gallia, Eluetia, Pannonia la-
tè latos numerarent.

Neque verò fides Trinitatis
Naturæ aciem, hoc est oculum
tenebris offusum, sed & Gratię
obtutum, vtut radio illumi-
natum excessit, quando &
Græcorum Athenæ, & He-

breorum Synagoga æquis passibus cis ipsam steterũt: Moysi apparuit Deus in igne, qui etsi illustrissimus vt se simul, & alia ostenderet, sed Trinitatem occultauit, quum solitudinem ipso etiam loco præferret. Ille princeps propheta, & (si quis) euangelista Isaias, quum cælo hiãt velut reducto sipario Deũ in Augustali suo intueretur, omnia, prærer ipsum multiplicata vidit, calculos ignis, Seraphim alas, vectes, cardines, super liminaria, omnia cis authorem numerata. Sed & circulatores Memphis qui classicum Deo cecinerunt reciprocis portentis certantes, sanguinem sanguini, ranas ranis reddiderunt, eo vsque pares; cum pergere niterentur, retroacti. Cur quæso? an facilius ranas, quam cinifes ederent, quarum populum vna earum deuorasset. Nil minus duco, nil segnius credite auditores,

tores, quin omnes Augustinũ audiamus qui huius rei sacramentum scrupulosè scrutatus, inquit cinifes superasse magicas præstigias non substantia, sed numero, quoniam tertio loco contra tyrannum pugnarunt; vt scilicet extra aleam omnem, & lubricum esset opinionis mysterium concurrentium in Deo hypostasum, hoc est Trinitatem, nec à natura disci posse, nec ab arte doceri, quantumcunque hæc illam adulterare, & adiuuare conetur supellectili ab inferis mutuata. Scilicèt hæc Theologia doctorem Deum expectabat: Cætera alijs, hoc soli ipsi debemus, qui ad eloquendum tantæ emphasis argumentum debuit totus Verbum fuisse. Alia leuioris commatis argumenta siue à nobis singuli, siue ab inuicem mutuo audire possumus; Logicam à Zenone, Physicam ab Aristotele, Nu-

meros ab Euclide. Varro agricolas, Vittruuius architectos, Animodes nautas reddidissent. Cælum ipsum superamus, & diuina quoque humana fecerunt hagiographi: Moyses, Iosue, Daniel vnitatem, sapientiam, virtutem eius, voluminum suorum æterno magisterio prædicantes; Iob, Salomon, Hieremias iudiciorum eius qua stagnum, qua mare emensi. Alius clemētiam eius extulit, alius iram, Christus solus Trinitatem. Hic nimirum manifestauit nomen Patris hominibus, dignus cui tam incredibile crederetur, cum ipse totius actionis, non testis tantummodo esset, sed pars. Deus olim dominus, per Christum agnitus est Pater; semper fuisse creditus, nunc etiam genuisse, nec modo opus edere, sed prolem. Hoc hactenus occlusum, primo iam apertum optimo publico, simul inno-

tescere

rescere Orbi cæpit, & prodesse: summa, Christum doctorem expectauit.

Et quidni credamus factũ? quod etsi non fieret, sano iudicio diceremus esse faciendũ? nam & in scholis hypodidascali, sunt, in prouincijs reguli, in Ecclesijs suffraganei, in xenodochijs empirici, qui omnes, atque id genus ita in partem regiminis veniunt, vt meliori arceantur, quum difficilia à Magistris, capitalia à Principe, periculosa à Medico, à summo Sacerdote paria errata absoluantur. Quid ergo hinc colligent nostri omnes calculi, nisi articulum hunc Trinitatis durissimum esse, quem explicandum sibi Sapientia ipsa reseruauit. Stet ergò vero certius, certo constantius hunc hypostaticum griphum Diuæ Trinitatis, ter & vltrà perplexum, atque omni industria, etiam vltima posteriorem,

quam nemo præter vnum nouit, velut imago quæ nequeat nisi in speculo, hoc est, ab authographo ipso depingi. Eat nunc aliquis, & aiat hypostases Dei comprehensu faciles quam paucæ sunt, quum ipsa paucitas incomprehẽsibilis sit, quoniam diuina; Putet numerum earum finitum esse, in quo singula sunt infinita. Erret demum eum imparem esse, in quoquodque vnum, non modò alteri æquum est, sed toti. Quin satius, saniusque non putet, sed miretur, paucitatem hanc sæpè infinitam esse; infinitatem, quoniam multiplicari non potest, repetitam; numerum facere quæ sibi se insinuant; Tria esse, & tamen vnum; paritatem imparem, Trinitatem parem. Audiri hæc possunt, intelligi certè non possunt nisi vt credantur, & tum quam maximè intellectum dignantur, cum is

sapit

ſapit non aliter ea comprehen-
di poſſe, niſi vt credantur eſſe
incomprehenſibilia. Nempè
hic diſparanda ſimilia ſunt,
comparanda diſparata; pluriũ
vnitas, vnius communitas:
quæ quidem omnia ita fidei no
ſtræ commendanda ſunt, nè
ratione prodantur; ſic ratione
obducenda, nè monſtra videã-
tur; pretium operæ, neceſſariæ
quidem, at non noſtræ. Iri-
dem videmus, roſcidum arcũ
Cæli, nouam Galaxiam lumi-
num varietate miſcere; & ſiue
illa veris coloribus placet, ſiue
mentientibus iocatur, gratiſſi-
mam ſcenam trilicio illo oſtẽ-
dit, croceo, purpureo, virenti.
Sic nimirum illa ibi quaſi ſtel-
læ, nictant, & radiatim in cõ-
finio ſe miſcent; videre illos
licet, diſtinguere non licet,
aut monſtrare digito quis vbi
ſic deſinat nè ab altero exci-
piatur. Ita, inquam, in hac
ſuperiore Trinitate perſonas
nu-

numerare, ordinare potes, disparare facile non potes, aut rationibus expedire, cur nullam secundò repetis, & quum ad alteram transis, quantum est, quod primæ reliquisti?

Nempè, quisquis hæc tam tumidè spondes, atque in insectili materia etiam puncticidium promittis, dic mihi dicacule, si D-o filius est, cur vnicus sit? Si Verbum Dei filius eius, cur nō item Spiritus, atque Amor illius, quum in nostratibus filijs necessariò spiritum, semper amorem videamus. Si ore Dei dicitur Verbum, atque eodem Spiritus anhelatur, vnde fit vt frater Verbo non sit ille, qui ex eodèm quasi vtero prodiuit. Hic inquam, stylum tuum stringe, stricturam acue, aciem ipsam & cuneos cuspidatim interpone, si quando in eorum confinium impingas, quæ nè miseris in alterutrum, incidere,

hoc

hoc ipsum quod sunt; adinuicem proficiscuntur. Et nè in illis Verbi aut Spiritus hypostasibus principium faciam quarum neutra est trium prima: ipse Pater cur eo nomine non appelletur tantùm, sed sit; hoc est, (si me ipsum intelligo,) cur generatione sua constet, & quasi accipiat esse præbendo? vnde illud: quod loqui parentem reddat, amare non reddat, quum sciamus nihil æquè patrem contingere, ac amorē; atque alia id genus paradoxa, quæ nos vtut Epidauri, & Argi notare vix possumus, nè vix enodare: Aut ille Deus nō foret, qui sic colligi posset, aut essemus nos, qui colligeremus: Atque adeò quantum noscunque neruos omnes intelligentiæ, sinum memoriæ, fundum ipsum, & fibras excutiamus; sed ille interim publicum suū secretum nobis faciet, & impenetrabili natura, supernatu-

rali

rali Trinitate, vestigationis importunitatem euadet. Hæc scilicet sunt vasa sanctuarij, quę etiam Leuitæ operta baiulant per viam, in termino demum explicanda. Hæc lumina lagenis commissa, quæ, nisi fictilibus ruptis non lucēt, aut fulgurant, quanquam calefaciant. Ista denique Sancta sanctorum, quæ nisi scisso templi velo, nolunt patere. Quamdiu vitæ huius iter ex typica Aegypto in Palestinam promissionis molimur, intueri ista non possumus, nec oculis obijcere, sed tergo. Quamdiu figmentum hoc carnis circumferimus, Trinitas Dei, et si claritas ipsa sit, vt se simul, & alia illustret, sed videri renuit vsque dum opacum hoc corporum mutuo illisu contereretur. Et denique, vt libamentum, & auspicia illius agnoscendæ recenti testamēto tum primùm accepimus, quum

na-

naturali pectore Christi aperto veri templi velum est proscissum; ita vtique explicata scientia eius, & plena meridies veritatis illam periodum temporis expectabit, quum Ecclesia orthodoxa huius capitis mysticum corpus longa patientia dissoluetur. Tum primùm, (etsi postremò rerum) siparium obscuritatis reducetur, scena inuestis patebit; tum Trinitas personam exuet, nec imaginem, sed vultum monstrabit, quando olim vmbratilis hæc fides cum morte desinet, claritas immortalitatem maritabit. Id autem, quo sciatur futurum, interim opportet esse possibile, quod dudum vobis promissum, hic me expectat, vt arcanum hoc, quod vidistis incomprehensibile, non item esse impossibile audiatis.

Audite autem, non impotens, non impossibile, Deum hy-

hypostasibus numerari; nam quomodò impossibile, quod positum? quomodo in diuinis non positum, quod arbitraratione est ponendum? Est autem numerus aliquis, siue multitudo personarum; nam illa plaustra absurditatum negantes eam (imò etiam Deum cui negatur) obruent, quæ neque illi cauere, neque hic pati valebūt. Nam quæ maior insania, quàm Deum solitudine damnare, quasi in pristinū, aut compedes coniectum, vt ille à natura conditionem illam acceperit quam nos à iustitia vindice, imò à sceleribus nostris mutuamur, si tantam tamen. Exilium mulcta erat; relegatio maximorum facinorum stipendium, & tamen vtrobique mulctæ, societati locus fuit, nec reo interdictum loco omni, aut gente, sed suis. Quantum ergo peccauit Deus in naturam priusquam acciperet,

ret, in nos postquàm fecit, tàm acerbè mulctandus, vt non modo socium, sed ne inimicum posset affari? Absit (AA) absit illi miseria, nobis amentia; vt aiamus eum hac Nemesi perstrictum; quin potius, satiusque, quoniam ille non solum optimæ naturæ est sed beate, nos saltem rationalis, dicamus, gaudeamus illum non modo complicem habere, sed charum, quo & frui possit, & gaudeat ipse fruēdus. Enimuero ille quamquam opibus ditissimus, viribus omnipotens, æuo sempiternus: quamquam illi Amalthæa bonorum amplius plueret quàm cogitatio nostra fingere, auaritia capere posset, adhuc ille longa parasanga fœlicitati abesset, quando adhuc eum desideraret, cui cum his seipsum, id est, sensum, & cogitationes suas communicaret. Nempè, nullius boni sine socio iucunda

est

est possessio, imò nec est possessio. Species aspicientem volet; conuiuia vnius esse non possunt; Imperium sine supplici quale? Miracula ipsa, ac portenta sine conscio, & teste prodiguntur. Quid te eloquentia iuuat, si neminem iuuet audire: audire te, nisi quis præter audientem loquatur? ita oblectamenta externo constant, sine quo sæpissimè nec vis, nec virtus, non delectatio ipsa delectat. Vides pueros, etiam viros, (etsi in hoc pueriles,) pilam datatim voluere, iactu, & captu reciprocis oblectatos; quin etiam vnum, cui secundus deest, adhuc pilam parieti impingere, quasi complicem habeat quũ ab illo resultat: gratior est reditu, quàm itu, atque ita non habere eum placet, sed accepisse. Aspicis quæ egestas consortis, quanta vtilitas eius, cuius nō modò vsus, aut fructus,

tus, ſed ſimulachrum, & vmbra ipſa delectat. Sed hactenus luſi: Conſortiũ alio ſpectat, quam vt iculariter miſceamur, quam vt id teneas, quod haberes etiam ſi non accepiſſes. Quum alium quæro, amicum opo, ſine quo non magis fælicitatem habeas, quã ſine ſe ipſa; Nam ſi nemo colloquitur, nemo fidit, credit, gratulatur; palàm eſt amicitiam vitæ obſonium eſſe, ſinè quo fruſtra ſint tot facultates, & tanquam in cæna mulceri gula non poteſt ſi deſit cui propines. Amicitia ergo beatum inuenire non poteſt, facere poteſt eum etiam quem alioqui tot præiudicia grauarent. Quæque calamitas, vtut acerba, communione, & cõpaſſu, tanquam diuiſione ſui miteſcit. Iam ſi illa malæ fortunæ condimentum eſt, bonæ ſapor, quo iudicio eam Deo negabimus? quo auſu detrahe-

hemus, nisi inuideamus ei fœlicitatem, aut putemus naturam inuidisse? Absit, absque hoc sat insanimus, oro, ne æternum erremus, quin saltim imperitissimis doctiores, discamus dicamusq. Deum, quoniam Deus est, beatitudine frui; quoniam beatus, consorte.

At, inquies, quis ista neget nisi falsò, quùm constet cælum spiritibus populatum; quos ne dubites audire quid alius; scire quod ipsi loquuntur, Intelligẽtiæ sunt: tantum abest Deum solitudine premi, vt potius societate laboret. Egregiè sanè: digna cedro solutio, sed indigna auditu, & potius de Intelligentijs data, quàm ab ipsis. Nã vt omnia habeas quæ optas, primum, sic Deum longa patiẽtia mulctasti; quoniam, cum Intelligentiæ initio temporis, id est, tardissime cœperint, iam Deus tota æternitate fuit solus. Deinde, vt fuerint illæ antiquissimæ

ſimæ, & initio ipſo priores, an vlla, an omnes par reddere, aut auderent ſi poſſent, aut poſſent ſi auderent ei cum quo diuinũ Verbum, vel vnicum loqui, ſapere, explicare neſcirent? Nam ne putes quemque garritum ſufficere ad ſocietatem niſi eadem natura dicat, & audiatur; monachi in eremis monachi ſunt, vbi tamen auiculæ ad faſtidium ſtrepunt: Adam in Eden animalium altilium, volatilium, iumentorum ſatellitio ad pompam circumfuſus, diuina ſententia, ſcilicet veriſſima, fuit ſolus, & ne porrò eſſet, ſimilem ſibi accepit. Similitudo ergò eſt quæ ſolitudinem extinguit, ſocietatem parit, quam ne Deo neges, parem addere debes, atque ideò Deum. Et ecce, vt ille ſibi accedit; ſic alius vt idem, ſic idem vt diuerſus, atque à quo hypoſtaſi digreditur, in ipſum natura relabatur.
Sed etſi ille poſſet, ſiuè mo-
le·

leſtiam ſine miraculo, ſiue ſolitudinem ſine moleſtia pati, adhuc crebreſcere deberet, nõ comitatus cauſa, ſed fęcunditatis. Quid enim, effætum, ſterilem eum putemus, vt eo egeat, quod in alios ſpargit, & quidem optimo! eſt autem optimum fœcundum, ſicut præſtat quod eſt quis, quam quod habet. Eſt ergò ille, atque ita edit non baccas, aut corymbos, aut, vt èffætæ arbores, vmbram, quin vteri fructum, atq; ita filium, qui quoniam ſucci inſtar, cortice nihil ſciſſa protuberat, virginitatem parenti, prolem virgini conſeruat. O partum, ò prolem; illum nitidum, hanc diuinam: alterum noſtræ admirationis paſſibus, vltimum diuini amoris brachijs proſequendum, atque ita infinitis, quoniam quiſquis infra hunc ſtetit, nec eo auctore dignus eſt, nec obiecto. Et ecce appuli, Trinitatem nempe nume-

merqui, nam quum halitus ille, ille amor, quo & diligit Pater, & diligitur, par proli esse debeat, dignus parente; sanè si horum quempiam Deum dixeris, spiritum iam deprimere nescis, nisi illos simul fastigio suo deponas. Quid addam voluntatem Dei cæteroqui segnem, intellectum eius frustra doctissimum; quum neque verum sapere possit, nisi circumscriptum, neque amplecti bonum, nisi definitum. Fac enim deesse essentiæ eius hypostases, deerunt potentijs obiecta, nisi seipse vbique prosequatur, quod vix erit agere, ne vix moueri, quando idem à se ipso breuissimo interuallo, id est, nullo abest. Sane verò etsi aliud nihil dignum esse possit eo amore; si tamen Deus hypostasi tam vnus esset, quam est substantia, ille affectus qui summe æquus est, non esset summe liberalis. Quid enim æque parcum, ac

totum ſibi impendi! quod ita his hypoſtaſibus abeſt; vt quæque ad alteram tota ſit, imò ſingula ad plures. Sic ergò, ſic certè opportuit Solem hūc Dei Patris, lucem & ardorem producere, his cætera, ſiue elementa ad materiam Vniuerſi, ſiue mixta ad integritatem: omnia enim ille molitus eſt Amore artifice, Sapientia architecto. Ille mentem Dei imbuit, iſta manus expediuit, ne quid ei deforet, cui & poſſe & velle ſubeſſet. Sic ſcilicet hæc Trinitas ſedet numero abſoluta, ordine exactiſſima, ſymbolis diuerſa. Ille ſenatus Triumuirum, neq; ſolitudine infælix, neque fruticatione ſylueſcens, quin numero aliquo moleſtiam ſingularitatis redimeret, & paucitate eius contemptum familiaritatis præueniret, atque interim omnis honeſtatis ſibi exercitium præferret, nobis exemplum, ſemper imitabile, nunquam expri-

primendum. Nam quotus id etiam cogitatione assequatur, quod hypostases hæ, sua quæq; probitate non ornetur tantùm; sed sit, & subsistat? Quanta liberalitas quæ coæua danti? Quam maturè doctus qui nascendo discit? Quam amabilis ille, qui Amor? Quale irritamentum fœnerandi, quando vides nihil peculij ei imminui qui infinitum præbet nec quidquam detrahi dando. Nonnè hic scientia calumniæ subducitur, quum videmus eam actutum in purissimos manes, & sanctitatem spiritus redundare? Deinde verò hæc hierarchia, personarum quam asymbola, nostræ, ac proinde sana? nostra illi quam absona, & vel inde, læua? Vide sis enim. Nostrum quis pater est, marcet; quo sæpius, hoc magis tanquam transcribat patrimonium roboris in filium, iam quidem validum, sed præcipitem adhuc, & incon-

sultum. Illic obuia, & aduersa: Pater viribus pollet, quanquam origine prior filio; Filius maturitate, etsi posterior; & cum spiritus noster adolescentiæ æstu in intemperies bulliat, sed ille, sed enim iam olim sanctitatem sibi desponsauit. Adhuc ibi, quanta gratia naturæ, quis numerus gratiarum tam exacte inter solitudinem, turbamque libratus, vt Deus interim fastigij sui tenax in imperio nō admittat socium, in conuictu admittat: Cęsar parē conuenire nō potest etsi velit impari cōuenire nollet, etsi posset; ita amicitia vndiq; aut inuenit pares, aut facit; ac proinde princeps quū alijs miscetur, aut demittit se multitudini, aut diuidit; vt iucundior sit, se ipso minor erit, aut non summus, aut solus. Hic secus, vbi singuli sibi ijdem sunt, alijs pares, vbi charitas inuidiam pręuertit, infinitas angustiam; vbi Ver-

bum,

bum, ac Spiritus augustale Patris implent, atque ita præter ordinem vna sede morantur Maiestas, & Amor, benè, magnificè, diuinę, vt non falsò quis dixerit Deum numero impare hoc gaudere; quoniam etsi dualitas molestiam solitudinis redimeret, tamen sine Trinitate medium non haberet. O consilium numeri absolutissimum, O numerum Consulum diuinum, qui & locum suum virtuti, & primitias suas Deo, & ordinē personis seruauit.

Vnum offendiculum video in tramite tam raso, in area tam expedita obicem, in leuissimo scyrpo nodum; atque hic ille est, quod scilicet statuta sic Trinitate Dei, natura vna plurium esse debeat, atque ita multorum illa, nec multa; indiuisa, & tamen in diuersis, atque ita numerum sine numero faciat, repetita in pluribus, & tamē vna. Sed enim quis tam

ſtolidè ſuperbus eſt, vt Deo nec vnum aliquod concedat, quod concedat ſuo captui negatum; vt ille ſemel ſaltem extra ordinem eo' volare poſsit, quo fateatur ſe non poſſe ſequi: Planè diuinam naturam humanam facimus ſi eam quaquà verſum indagine noſtra metimur. Hoccine illud ſcandalum eſt quod auerſos philoſophos à Chriſtiana religione abſtraxit, quaſi verò vllam ſortiri poſſent in qua non paradoxa aliqua occurrerent; ac non potius ipſa natura ea portenta paſsim obijceret, quæ illi eruere ne obnixi, & ſudantes valerent. Quotuſquiſque noſtrum hucuſque æui, non dico cælum menſus eſt, ſed vel laterem vnum, vt audienti referat, num partes eius impartibiles ſint, an ſingulæ ex alijs compactæ? Quis mare ſuo alueo ſemper inquies, ſemper obſeſſum, quis illius æſtus, & redituros per iugulum vomitus

ita quærenti promisit in causam refundere, vt posset aut quæstionibus discipuli, aut promissis suis respondere? ne alios naturæ partus, abortus, spectra adhibeam, quibus illa ingenij nostri cristas verberat, & planè ludibrio habet? Vndè adamas ferro, & igni luctata, sanguine crepat. Cur nobis abietis, ac cypressi vmbræ ipsæ officiunt? Anates Ponticę veneno viuant. Non Aristoteles in Euripo, Plinius in Vesæuo, Aristodamus tot annis inuestiganda apis natura sudauit? Et hi tamen palliati scioli supercilio, & barba doctissimi, nihil desipere volunt, omnia docere, vt etiam Dei natura diuina non sit, imò non natura, nec nata, quod horum cerebella dedignatur. Sanè digna vittis religio, planeque religanda, ne foro, & cōpitis permissa humanitatem homini depeculetur. Vide enim amabo, qua die hoc cur-

riculo feruntur, quas illi inep-
tias ad vesperam non insanient.
Scilicet, quia hucusque seculi
nemo vnus apiculæ genium,
fluxum maris, adamantis per-
tinaciam penetrauit, ideò, in-
quam, mare torpet, terra sidit,
toxica aut cuius obsunt, aut
nulli; magnes ferrum arcet,
adamas iuuitat, quolibet po-
tius, quam cruore expugnan-
dus. Quoniam ergo neque nos
Naturæ arcanis satisfacere no-
uimus, neque natura diuinis,
ab ipsa ad Gratiã prouocemus:
Appellemus ab oculorum iudi-
cio ad aures, & credamus, quod
testatur Deus quamdiu nesci-
mus penetrare quod est. Deni-
que fidei ductum sequamur,
gaudeamus ea nos tempestate
genitos, quando huius mysterij
confessio Theologiam Ecclesię,
numerum credendorum auxit;
quoniam hæc diuina Trinitas,
quæ palam iam prædicantium
linguas imbuit, ora confessorũ,
in-

in anteriori Synagoga rarenter, & nebulose vix ostensa est, sed ostensa tamen. Non potuit hęc meridies sine aurora, hic Sol sine Phosphoro oriri; neq; ego pertinax obstabo, quo minus maioribus nostris crepuscula aliqua illius diluxerint. Imò Abraham diem Christi vidit, ac proinde Patris, in quo ille Spiritum, & Veritatem adorauit; cum scilicet ad conuallem Mambre hospites aliquot conspicatus, tres vidit, vni se inclinauit. Nam quis id neget, nec textui obstet, qui Trinitatem Dei inibi vncialibus litteris, & notabili prosopopeia describit. Aliquando inquiens; *Apparuit ei Dominus* alias: *Apparuerunt ei tres*. Et prope: *Cucurrit Abraham in occursum eorum*. quos alloquutus dixit; *Domine* atque illud: *Nè transeas seruum tuum*. Et adhuc: *Lauate pedes vestros*. Quis enim est iste, sic vnus, nè Do-

mini; sic dominus, vt multi; ita simplex, ne solus; sic denique singularis vt societatem augeat simul & admittat? Non sum nescius, diuerticula aliquot hic, & anfractus cogitari posse, æquè ac solere; sed omnia id efficiunt, ne ego in calce orationis meæ exordio eius ob- stem, aut audeam Trinitatis diuinæ Sacramentum veteribus alias, quam in schemate, & vmbra illuxisse. Vidit Iudæus illius aliquid, sed mutilum, & truncate, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, in quibus transuersi, & decussati crates obiectum oculis inuiderent. Nescit eam natura, neque vnquam quidquam edidit, quo Trias hæc proderetur; & tamen huius arrha aliqua, ac symbolum Ecclesiæ annales nobilitaui. Accipite:

Vmbriam illustrissimam fecit Virgo apud Montem Falcũ, quæ

quæ ab illa sanctimonialium antepilana Clara Afsisiate, cum exemplo virtutum etiam nomen accepit. Hæc in cæleſtium cogitatione doctius quam pro ætate, fortius quam pro ſexu moroſa; ita illa in ſe ipſam tranſtulit vt omnium ferè certè optimorum, nō imaginem tantùm, ſed ſimulachrum. & ſtatuam apud ſe intro ſtatuerit. Intro intelligite, non in domeſtico, aut hortenſi ſeceſſu, nō in cubili, aut quod ſanctius eſſet, ſacello; ſed omni hoc inteſtino interius, in centro, & corde corporis, ad penetral præcordiorum. Hic, in quam, hic illa diuinis myſterijs non telam, aut colores pingendis, ſed materiam dedit exſculpendis. Ex carne virgine crux, flagra, claui, ſpongia, lancea, ſpinetum, ad ſolidum, certè autem ad viuum expreſſa; atque inter ipſa pilæ aliquot, quæ tam in captili myſterio grauiſsimum

testimonium præbent. [Nem-pè illæ numero tres fuerunt, forma similes, pondere ita æquales, vt lancibus iniectæ, quæque aliam, singulæ duas appenderent, & exotico æquipondio elatas in diametro librarent. Cuius pertinaciam hæc euidentia non frangat? cui fidei non possit fidem facere, vt credamus nequaquam possibilium claustro egressum, cuius instar in factorum indice videmus; vt cuius mysterij symbolum cernimus potissimam difficultatem, quasi sumptus omnes fecisse, credamus, quale demum, quantum est cunque portentum, magnificentius in prototypo præcessisse.

Hæc nimirum Diua Trinitas est, in qua Vnitas numerũ implet, numerus vnitate coërcetur: cuius quæque quasi pars toti par est, partes sine complice integerrimæ: Pater, Verbum & Spiritus, quorum nullum

de

dè altero dixeris; sed interim trium est vnum nomen. Illi, miscentur sibi sinè turba, absq; diuortio absunt: Essentia similes imò ijdem, potentia suppares, maiestate æquales: ordinibus reciproci, substantia absoluti. Nam quidni, si margaritam nequeas aliquauersum lædere, nisi totam in parte corrumpas: vnionē nusquam vnam videas, nisi sequenti vnitam; Si Salentini lacus neque exhausta aqua minuitur, neque infusa augetur; si denique nostra hominū natura specie finita est, numero, siuè indiuiduis propemodū infinita, quidni Deo alterum semissem admittamus, vt hypostatibus definitus, essentia infinitus credatur. Credatur, colatur: Iudicemus Deum posse, certè autem esse aliquid quod nos nescire sciamus: Gaudeamus, colligamus eum; quia adoratione nostra dignum, captu nostro esse maius; nam quis,

etsi

etsi fungus, aut stipes, submittat se æquali? Illud denique sit orationis meæ fructus, vestræ patientiæ scopus, vt, quoniam quisque nostrum huius diuini numeri tot personarum simile præfert, ad imaginem earum olim factus: Quoniam deinde in regeneratione nostra per baptismum in meliorem humanitatem huius Trinitatis characterem accepimus, simul aqua imbuti, atque illius nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti; quia inquam, per ipsum, & naturam viuimus, & gratiam, nō cōmittamus eorum memoriam in nobis desiderari, quorū imagine constamus. Quando illa olim luto nostro impressa, stigmata, & mansiunculas in nobis fecit, excipiamus eam potentijs nostris, sua quamque sede; scitis enim, vacua à sigillis relicta non possunt exactius quam imagine regis impleri. Denique, quoniam ipsius cogni-

gni.

gnitio, pro nunc cæpta tantùm, non perfecta est, vmbris cancellatim decussata, enitamur eò aspirare, vbi ipsa desita credi, cepta intelligi, in meridie æternitatis Vultum suum videnda explicabit.

ABSOLVI.



PRO-

PROLVSIO

Tertia.

De Angelis.

ARduum eſt (AA) hominem ſuprà homines ferri: periculoſum de dubijs, temerarium de ignotis iudicare. Durum apud peritos argumenti dicere, verecundum aſpicere eos quos extollis, ſiue vllius laudes eidem auditori propinare. Quæ cum in cõfeſſo cuique ſint, certè autem eſſe deberent expedito mihi ad hodiernæ orationis materiam neſcio quas inebras, & Cydippea mala obiectant. Nempè ego cum ſtatuiſſem vobis Chriſtianæ Theologiæ arcana velite ora-

oratione, ac roraria difficultatibus exarmatam velut ipsam ante se adferre, iam aliquando rerum ordine, meo munere adstringor, vt diuinæ naturæ Angelos, velut Imperatoriæ maiestati satellitium, ac prætorianos subnectam. Etenim hoc ipsū conatus meos retractat, quia nimirum incorpores Angeli, atque adeo supra homines sunt; vnde euadit mihi arduum institutum: Opinionum lubrico nitendum est, atque inde periculosum: Experientia negata, scientia desperāda est; quod etiam cautissimo cuique & restitanti temeritatis necessitatem inducit. Adhuc tamen fortius me ferit, & quasi reuerberat aspirantem auditorij, quam argumenti conditio: Angeli sunt, critici illi & Rhadamanti, propter quod ego nō nisi trepidus eorum superciliū subibo, quos dubitare non possum ambitiosè interim in

hac

hac aula concurrere mihi, & circumuerti. Planè enim effrons ego, & vultuosus nimium quam essem, nisi hærenter, & verecunde eorum præconem agere, quos scio orationi meæ non minus auditores esse, quam obiecta. Tot præiudicijs districtus prudenter nihil, prudentius nonnihil dicam vt respondeam argumento, id est, Angelis, qui non modo de nobis loquuntur, sed nobiscum. Vt eorum beneficentiam gratitudine aliqua reponam, qui quoniam de genere nostro plus ipso sunt solliciti, non possunt nisi iniquissimè à nobis nesciri. Atque ita non ipsorum tantum, sed nostra interest ne nesciantur illi cum quibus necesse est nos tot officijs defungi. Nam quando debitum reddet ille, qui creditorem ignorat? aut quomodo nos Angelos æstimare prò dignitate, diligere pro beneficijs, adorare pro sancti-

te

te poterimus, ſi eorum naturam, induſtriam, gratiam ignoramus, aut fuiſſe tantum, eos, non etiam durare hallucinemur? Abſit indignitas, quum ij etiam qui operam oblectamento definiunt, nullibi gratius quam in hac materia peregrinentur. Enimuero ſi nos ita demulcet Mundi cæleſtis aſpectus, ille cæli fornix tot aſtris picturatus, illa aſtra ſuo orbe circumducta, nocturni ſoles quibus lux vmbram obducit; quid erit Angelos aduertere, diurna aſtra, & matutina, quorum vmbra ipſa lucet. Quanti ferrum, ſi tanti theca? Hic Mundus Angelorum, ille enſis eſt hac vagina incluſus, & qua licet oratione mea educendus, ſi pro vſu veſtro, id eſt, humanitate ſuſtinere voletis exponentem me beatorum agminum vitam inprimis, vt eſſe eos oſtendam, nunquam non futuros; Tum

vero

vero etiam naturam, quæ pars sola in plures redundabit, sed presse, subsultim decurrenda, vt in eorum fælicitate desinat oratio, ad quam ipso statim exordio festinat.

Quid ergo primum, nisi perstringendi mihi Saducæi sunt, atque etiam Samaritani, qui arroganti delirio Angelos esse negabant; Cur putes? quia non videbant. Egregio sanè fundamento; scilicet, si his oculos eruisses protinus omnia præter ipsos desinerent. Quæ regiones apud Antipodas, & Pericæos sunt, non sunt, quia his non apparent. Sanè, qui sic sensum sequitur dignus est eo duce, vt nullo vadat nisi quo animalia possunt inferri. Quãquam quid ego hos traduco, quietsi longissima linea deuij, sed interim primas partes dementiæ alijs reliquerunt. Nãque quam stupiditatem non unt hucusque professa capita

ali-

aliquot hominum, etiam phi-
losophorum? Cymmerij solem
esse negarunt: Anaxagoras re-
nuit niuem albam esse fateri,
atq; alia alij, quorum stultitias
hodie etiam stultissimi miran-
tur. Sed enim Saducæi cele-
britatem nominis ineptia illa
acceperunt, quæ Spiritui sanc-
to tàm palmaris visa est; vt eā
ipse per hagiographos suos bi-
bliorum angustijs dignaretur.
Et vera re fuit illa opinio hac
creta dignissima, nec quisquam
eam hospitio exciperet, nisi qui
sensibus sacramentum dixit, ni-
hil, nisi ab illis auditurus. Sed si
quis huius est modi, primo in
hominem refingi debet, tum
demum rationibus lacessendus,
quas qui admiserit certe non
poterit Angelis commeatum
negare.

Nempè, si illi non solida re,
sed nostra tantum opinione,
aut errore existunt; vndè illa
tot operum magalia, quæ nisi
per

per ipsos fieri non potuerunt? Nam fac Angelos non esse, vnde est ille supernorum orbium cursus tam rapidus, & tamen status, siue legitimus, ac regularis; incrementum illud temporum innotabile, ea vicissitudo tam salutaris; quæ omnia, atque ex ijs consectanea secum adfert, refertque vehiculum solis cælum, quod quanquam furenter raptum, atque aliorum rapax, tamen nisi Angelo motore truditur, conquiescit. Etenim illud minimè sua vita cietur, quoniam inanime est; & naturæ impetu minus, quoniam hæc quotquot corpora ad locum impellit, vbi eum attigerint, deferuescunt. Cælum autem inquies, ac præceps ambit locum, non occupat nisi deserendum, manifesto argumento externi impulsoris, aliud molientis, quam quod videt mobili expedire. Deinde etiam, vt quasi à decre-

cretorijs armis ad luſoria veniamus: ſi nos Angelos mentimur, vnde olim illa oracula, & cortina veritatis Iouis in Dodona, & Triphonio, Apollinis apud Delphos, Clarios ' Smyrnos; vndè illa omina, auſpicia, portenta, oſtenta, ſomnia, quibus olim ſacrificuli illi, & interpretes idolorum quæſiti cuiuſque ſcopum certò, & mediatim ſecabant, prodebantque per inſtrumenta abſurdiſsima, cuilibet potiùs apta quam diuinationi. Chaldæi, Aegypt j, Aſſyrij per pelues diuinabat: Scythæ arborum virgis, Romani extis cæſorum, in quibus quis quid legeret niſi deſcripſiſſet dęmon, circulator ille, qui huiuſmodi ſpectris, & vaticinijs opinionem diuinitatis comparabat. Ita in comperto eſt Angelos non eſſe modo, ſed etiam diſtingui claſsibus, ac conditione, quum conſtet, aliquos læſæ maieſtatis Dei reos, nos ad de-

defectionem sollicitare,nec posse fœculentiam suam dissimulare, etiam in oraculorum fatis, quę aliquando per vmbilicum edunt, alias per pudenda, dignum os eo numine. Mihi certè hac apodixi res ita confecta apparet, vt quanquam tardè calculus meus thesi vlli accedat, hic tamen non præbitus, sed præreptus videatur tot vncis experimentorum, quæ vtinam parcius in perniciem nostram abundarent. M.Brutus illę Cæsaricida traducturus exercitum ex Abydo in oppositam continentem per noctem in tabernaculo insomnis euentum belli præcoquebat: Cum ecce ad fores primum strepitus, tum nescias qui colossus, immanis certe,ac tremendus Brutũ horrore percussit: qui tamen pro re nata animosus, quis sit scitatur? Et ille: Tuus, Brute, malus Genius; in Philippis me videbis, Et factum; Nempe ibi

ibi Brutus signa cum hoste contulit plus semel, vtrobique Cæsarem profligauit; Adhuc tamen fatali genio obnoxius, ensi suo incubit, alio ictum adiuuante, exanimatus. Si ergo illi Manes, & omnibus palam, & singulis clanculum imminent, quis ambigat Orbem hunc hominum ijs scatere quorum vt minimum duo, cuique capiti apparitores destinantur?

Sed de hoc satellitio alibi opportunius, nunc veritatem, & vitam Angelorum liberabo argumenti infamia, ne eos ex fraudibus, & perduellione, veluti ex fætore deducam; quin potius orationem meliori calculo lætam cælo obuertam vbi certissime Angeli, ac non tantum in hybernis terræ castra metantur. Non equidem inde ego nuper, nè quidem olim descendi; non aliorum litteras ex alto accepi; & tamen in hac hæresi sto quouis Firmamento

constantius, quod illic Angeli, non quidem ad nauseam, aut turbam, certè autem ad numerum, & celebritatem abundét. Nam quis cælum cogitat, & Angelos non credit, nisi miscere quæque velit, ac conuellere; aut imaginibus rerum ludere, ac meditari ædem sinè domesticis, vrbem sine ciuibus, prouinciam sine populo, Mundum nostro meliorem sine genere plusquam humano? Sane si meminerimus aulam Dei amplissimam esse, maiestatem infinitam, non erit labor Angelorum numerum admittere, erit coërcere. Quæ enim basilica sine aulicis? quod Capitolium sine fascibus? qui rex sine satellitio? quum etiam Diogenes ille Cynicus, ipsius etiam necessitatis censor, famulo vteretur. Et verò qui videt nostratum principum limen hospitibus teri, atria domesticis impleri, aulæ velut æstuario turmas turmatim

matim effundi, quandò interim Deum, non optimum modò, sed maximum credit, puto equidem huius celebritatis aliquid ei concedet, non par quidem, sed simile, & laborabit cogitatione, non vt familiæ numerum, sed vt modū numero imponat. Persæ reges ephebos trecentos sexaginta quinque habuerunt, hoc est, diebus anni pares: Salomon apparitorum aliquãdò quatuor millia, vt mittam Romanam maiestatem, cuius non solum capita, sed nec ipsa ministeria possunt sub censum cogi: Illi Cubicularij, Decuriones, Comites, Euocati, Lecticarij, Lictores, Quæstores, atque id genus populus ministrorum domi; Militiæ Tribuni, Seuiri Equitū, Centuriones, Spiculatores, atq; alij, alijque, quos etsi plus plumata cornicula varios, sed togatus magistratus excessit.

At quid hæremus Angelo-

præstem, ad natales earum postico curriculo deuoluar, atque inde conficiam, quanquã Intelligentiæ nulla traduce seminentur, sed sic quoque etiam ingenitæ seruent generis nobilitatem. In quo obiter noto præposteram opinionem, quæ etiam sapientes imbuit super hac, quam loquimur, nobilitate. Quid enim illa apud vulgus etiam doctorum? canities familiæ, quod est, multos sui genitores, liberos illos, & dignitate insignes præmisisse. Quam ineptè, quam læua laus numerus creditorum, dum quisque ita plurimum superbit, vt contingit eum pluribus debere. Quid hic dixi; verissimè, & tamen stultè, siue quid nos contra nos fascinat. Alibi rerum primas accipere dignius est; hic autem dignissimus est qui postremus. Dare beatius est, quam accipere: Hic autem fœlicissimus est ille, cui contigit

plures numerare à quibus dignitates, opes, vitam ipsam participauit. O miseros nos, nec miserandos, qui erranti trutina grauissimum quodque libramus; & aut nescimus corrigere nos quam stulti sumus, aut nolumus corrigi, quam pertinaces. Potius est spargere multa, quam colligere, & fœnerari quodque quam mutuasse. Malo liber esse, quam deuinctus; maximum duco quam minimùm debere. In quo, credo equidem, nemo mihi repugnabit; sed aut nobilitatem toto indice dignitatis expunget, aut assignabit ei potius qui beneficium præstitit, quam qui accepit. Quod quoniam video etiam cæcis liquescere, videtis vos assumptum à me (AA) & credo, iam complectimini; Est autem id, Angelos ortu admodùm nobiles esse, nobilitate supra modum fælices. Nempè non multos illi

maio-

maiores numerant, non paucos, ne vnos. Non seminant illi, nec pariuntur; è nihilo prodeunt, quod est quemque in sua (quæ est) prosapia esse primum; Et vt alios non edunt, quibus naturam fœnerent, ita nec vlli debent natiuitatem. Et quid quæso liberalius, quàm paucissimos creditores agnoscere; agnoscunt autem Angeli: Quid generosius, quam protinus genus ad Deum referre, referunt autem Angeli, qui defuncti anfractibus familiæ, & serie maiorum, compendio ad summum peruenerunt. Quod quanquam alio nō conduceret, id saltem præstat, nè tardè oriātur; non potest citò incipere qui multos præmisit.

Eant nunc nostri Thrasones, & bucculenti tibicines nobilitatis: iactent priorum cadauera, imò simulachra, sceptrigeras ceras, & semesa monumenta suorum: detrahunt sibi quod

Intelligentias illas ortus dignitate nobiles, naturę conditione defæcatas, vtrumque ex eodem capite habere, quia materiæ nostrę fęcibus carēt. Nos dissolutioni obnoxij, quia compositi: Illi securi integritatis, quia puri. Illi immortales, quia spiritus; nos morimur, quia corporati: Nostri pars optima mens est; Illi omnes mera mens, & purum putum: quod designatum video in Cherubim Propitiatorij, qui etsi vasti ipsi, ac solidi, sed ex auro solum fuerunt, vt intelligerentur Angeli nequaquam monilibus baccati, sed solidè gemmei, pretio ipso contexti, nec quidquam continere optimo deterius. Hunc naturæ principatum, quę virtutum satellitia non sequantur, quum nulla tam iners sit, quæ in aliqua sibi propria non sobolescat, suppara, & similia suo trunco; vt ego iam vasa colligere, atque alio concedere

posſim diſsimulatis Angelorum proprietatibus, quas cenſeri poſſum in naturæ ſtirpe, tanquam in ſonte vobis demonſtraſſe. Sed liberabo vos hoc faſce, nè conſequentias, aut ſequelas vllas facere, ſed admittere tantum velitis. Dicam enim vim Angelorum bicipitem illam, tanquam animæ, ac corporis, atque eos, velut enſem, in medium veſtri producam, quoniam & acie pollent, quam ad intellectum pertinere nouiſtis, & adhuc robore ac firmitate, quæ in lamina gladij vires Angelorum deſignabit, grato exordio, ſed ſtupendo. O nanos nos nimium, & tumidos tantùm, nec plenos; ſuſpicimus nos ambitiosè, & æſtimamus fortitudine, cui raritas pretium fecit, vt iam appareant gigantes noſtri aliorum infirmitate pollere. Tyberium Tranquillus, Pyrrhum Plutarchus, Lyſimachum Curtius, Plutonem

Va-

Valerius ille Maximus viribus extulerunt; quantis illi, accipite: Tyberius talitro vulnerabat, Pyrrhus hostem ictu vno diuisit à vertice ad pubem, sequens in cófertos hostes irrumpens vendicatum patrem intulit obsessæ Vrbi. Postremus Alexandrum quadrigantem pedes comitatus est graui armatura onustus. Milo Crotoniensis, cui paginæ lineas non ducit, quod in Olympico certamine bouem humeris vectitarit, atque id genus lacertosa portenta, Sardoo sibilo, & satyris Mænippeis collaudanda. Quantum enim est quidquid audistis etsi ab vno fieret? Quãtus ille Seruilius Consularis, qui singulari certamine vicies tricies superauit, si aut is, aut omnes vni Angelorum, etiam postremæ decuriæ, conferatur? Heraclius Imperator vastata Perside, regibus Phoca, & Chosroa cæsis, primum Eutichianis,

cataphractos, per cassides, clypeosque, trans hargapones, & thoracas ahenos mortem militibus inuexit, & Christianum exercitum tot millibus; Ethnicum pluribus decurtauit quum Assyrius tyrannus Hierosolymis, ac templo, synagogæ. Vaticano minaretur. Conscripsit ille militem numero innumerum, victorijs etiam superbum, quarum memoriã in Hebræos, tanquam tornitur è nubibus vibrabat. Sed ecce, sed enim Angelus iam olim doctus in cælo perduelles numinis verberare, blasphemi exercitus centum octoginta quinque millia vno ictu, certè vna nocte trucidauit. Quid hic dici pro dignitate, cogitari ad stuporem potest, quem ego etsi omnium experiar maximum, sed sentio detumescere, quum ex historia ad Philosophiam prouoco? atque ibi rationi credo machinam illam orbis cælo-

rum velocitate celerrimam, vastitate immanem vnius Intelligentiæ seu tractu, seu pulsu, certè autem virtute ita furenter rapi, vt quodq; punctum Firmamenti, alitrum omne in Aequinoctiali tot passuum miriades horatim pergat, quot expeditus eques ducentis plus annis conficeret, dietim quadraginta millia emensus. His, inquam, quæ admiratio sufficiat, quum nostrum nemo tam præcipitatum curriculum, non modò gressuum itinere, sed nec cogitationum volubilitate assequatur? Quo pergam, vt adijciam aliquid, quum iam producta non capiamus? Pergam, tamen, & adijciam, nè Angelica vis, vectoria tantum, ac mechanica, non etiam liberalis, & ingenua credatur. Est nempè ingenua illa, septies versatilis, & ad omnem metamorphosin ingeniosa. Quodlibet in alterum, se in omnia mutat; quod

nè

ne vnquam in obliuionem, aut ambiguum verteret, faciunt assiduè spectra illa, & portenta, quibus tenebriones Angeli, aut Dei fidem in hominibus, aut ipsorum hominum pietatem sæpe fæliciter, semper periculosè impugnant. Vnum pro multis audite: Theodora Alexandrina natu nobilis, nuptu Patricia, iuuentutis lubrico mœchiam peccauit. Huius illa conscientiam non ferens, domo, vrbe exulans, asceterij cuiusdam latebris volens se mancipauit. Quem animi cōceptum innocentia ipsa potiorem quum concoquere non posset inferus Ardelio, tot vultibus se prætexit, ad vnius fæminæ prædam, quot vos ideo libenter quia breuiter iam iam audietis. Primum ille nota facie Aegipanem turpiter indutus fæminæ crimen exprobrat, & verò aggrauat longa em-

rem cōpulit ad aliud ſtratagem-ma: Nempè quum reuocare, eam non poſſet, deijcere voluit auaritiæ, & gulæ irritamento, hinc maſſam auro grauem, illinc quaſillum dapibus fartum objiciēs. In quo ego etſi pruritum nocendi damnem, ſed non poſſum non efferre virium fœcunditatem quæ quodlibet prò re nata cudere, & vendere poſsint, quam etiam ſcio vos mecum mirari; ſed neſcio, num ſatis. Nempè, quod hactenus dixi, Angelus egit, ſed malus, & in ruina illa à culminibus Mundi vtique immane debilitatus. Quantum ergo à potiori expectares, bono, & beato? Vterque Angelus, natura pares, fortuna diſpares, etiam forma, atque adeo facultate, iam denique diſsident vt pruna à carbone, quem nouimus multo eſſe valentiorem. Olim ille igneus, & illuſtris; nunc niger, & fuſcus noctem

vultu

vultu gerit. Illi admirandi qui naturæ dignitati phaleras arbitrij adiecerunt, & cum fidelitate pulchritudinem seruarunt. ò quantam, ò qualem, quæ amari debet, æstimari nō potest: quæ videri renuit, quia colore caret; palpari, quia corpore; auditu tantum excipitur, dum tamen ipsa in partem operis veniat, & angelica lingua exprimatur. Nostra enim, vt maximè loquax, quid caneret nisi candores, & rubores, aurū crinium, & toties picturatos orbes oculorum, glaucos, cæruleos, cæsios, atque id generis pensilia, quæ Angelis non ornamenta, sed detrimenta forent, & iniuriam faceret quisquis ad laudem asignaret. Candent illi, sed lumine; rubent, at meliori igne: cæsariem cogitationum ex vertice illo dimittunt, non materia auream, sed pretio: Glaucum, cæruleum, citrinum vtique in pupilla eorum,

rum, hoc eſt, intellectu, aſpicias, in quo, tanquam Chameleonte, obiecta omnia, colores, & conditiones ſuas depingunt. Quid metaphoris inſiſtam, ſufficit ſciuiſſe has Intelligentias, omnes ſingulaſque, medio procul à Deo productas eſſe: vt quomodò nemo dubitat primum illum Adam ea forma ſpecioſum fuiſſe quam nemo poſterorum æquauit: Et quiſque ſibi perſuadet; hortum illum in Eden præ omnibus Paradiſum fuiſse, domicilium gratiarum, ad voluptatem, & pompam apparatum, quia nimirum vterque à Deo auctore, qua plantatus, qua plaſmatus eſt; ita vtique nemo ambigere, quiſque conſcire debet ſpeciem quamq; rem omnem publicam Angelorum ſpecioſam forma eſſe, & venuſto ore, quoniam non eorum quis alterum ſeuit, quin om-

lescentiæ in autumnum senectutis extendere; iste inquam, quam sibi fælix, alijs inuidendus niueo lapillo notaretur? Enimuero in nobis decor formæ, læuor ille genarum pueritiæ saltem, vt maximè iuuentuti nupsit, veluti rosa quam mora ipsa terit, ac proinde, raptim suspicitur, tanquam ex torrente bibatur. At vero illi Manes quos loquimur, fortunati illi, tot seculis non senescunt; belli vt paruuli, fortes vt adulti, æternum ver gratiarum per tot hyemes nihil marcidi transtulerunt, vt res illa publica Angelorum nihil cum nostra commune habeat, imò nec priuata. Nostrarum ciuitatum quisquis aliquam, incedit, videt alios, aliosque, occurrere, forma dissimiles, mole impares, ætate inæquales; aliquos adolescere, alios etiam adultos, quosdam vi-

virili toga prætextos, aliquos senectutis niue reuerendos, denique decrepitos aliquot, & effœtos, tanquam fuliginem semisopiti luminis, nihil nisi molestam. Ita nos, illi aliter populus adolescentium, semper succulentus, & virens, omnes belli, & boni, masculi Hebes, quod libenter videas ipsa etiam varietate ludétes. Neque enim illis vt nobis naturæ numerus tantùm est, non discrimen; scitis (AA) sumus omnes idipsum, hoc est, homines, quorum forte aliquis fortuna alteri præstat, nàtura nemo. Romanus, Barbarus, rex, & mancipium vnius luti segmenta, eiusdem rationis anima concitantur. Scio Mariscos vno oculo insignes esse, esse Triballos, & Illiricos pupillis bisbinis; aliquos aretinis capitibus, alios oris expertes; sed num hoc est homines specie dif-

differre, ac non magis deformitate. At verò in Angelis non solum numerorum species sunt, sed etiam specierum: Hierarchiæ ordinibus diuisæ, Ordines munijs disparati; Throni, Dominationes, Potestates, Principatus, Virtutes cælorum: aliqui Archangeli, Angeli omnes, qua ad Deum elatè, qua ad se reciprocè conuersi, vt in amussata Republica non audias tantum, sed videas etiam concentum, Nempe ibi primus triens est agens, postremus patiens, medius vtrumque. Iste discit, ille docet; quoniam quæ classis extimas bipertit, mutuatum à priori lumen repercussu in alteram transfundit. Iam quis tot Ordinum ordinem exponat, aliquos assistentes, alios ministrantes? Pars excubias agunt, pars castra metatur. Aliqui lucem scientiæ, alij

alij ignem amoris accendunt: Illi Cherubim, isti Seraphim; Throni in æterno tabernaculo sedentarium Propitiatorium extendunt: Virtutes portentis ludunt, Potestates dæmonia coërcent: Angeli, Archangeli, Dominationes, primi Ephebos agunt, medij interim Oratores, vltimi cæterorum præfectos, mira omnium concordia, summa singulorum lætitia, infinita aulæ celebritate. Hic autem, hic ego ad memoriam vestram prouoco (AA) si ea est Angelis multitas quam vos dudum iam mecum mirati estis, vt ministrantium millium millia, assistentium decies centena millia, totius numeri non nisi tentamentum sit, & libamen; si adhuc fide dignum sit, quod doctissimi docent, quosque duos eorum natura, & specie differre, quid erit phrigyoniam tot agminum, tam polymitam

va-

varietatem Angelorum, tanquam latissimam aream videre, in qua flores tam varij sint quã multi, vt quum omnes omnem impleant, sed nullus ibi repetatur. O domus Dei, & aula omnipotentis, quæ? quanta es, aut cur nos oculos accepimus, si eos tibi inferre non valemus? Supputamus calculos, & numeris delectamur, nec notamus artem, & amusses Musicæ in tam legitimis decurijs & verè ordinibus Angelorum, vt Angeli ad Dominationes duplam proportionem, Archangeli ad eosdem sesquialteram, id est, illi diapasson, hi diapente sonent. Dominationes ad Principatus sesqui-tertiam; Cherubim ad Seraphim sesqui octauam; ibi diatessaron, hic tonum audiri. Iam vero si intellectum tam lynceum, arbitrium tam mobile in eligendo, fixum in electo audiatis: Sed quorsum pergimus, tanquam

intellexerimus, quæ diximus, ac non magis lingua præuertit intellectum, quum ipsorum nec supputare numerum, nec admirari speciem, non robur æstimare, nisi vellicatim, & decurtate potuerimus. Cur adspiremus ad verticem qui hæremus in vestigio, ac non magis ab ipsis ad nos deuoluimur vt in eorum formæ, ac fortunæ dignitate nostrum inane & informe videamus. Nempè cui eos sapere contigit, quin protinus spiritus premere, & cristas hebetare deberet, visurus liquidissime, nihil esse stultius nostrà superbia? Quid enim quisque homo, luti coagulum, cento aliquot organorum, vitreus, & vere bulla ad chrystallum Angelorum prius tempore, par æternitati, limpidum, & solidum tamen, quod nec sordes à materia, nec diuortium à forma pertimescit. Nos ranūculæ aliquot in paludibus nostris

ſtris coaxamus, & tamen tumemus magnificè, quaſi adiecerimus aliquid Deo quem laudamus; fumei, & planè pudendi, quod non meminimus illi maieſtati æternum Pæana cani ab his choragis arte doctis, ſono dulcibus, vſu indefeſſis; vt illi volat lesephebi, Auſtri illi Angelorum Deo adſunt, imperãtis nutu citius, obſequentiũ voto tardius, ille populus Cupidinum virtute, non fabulis alatus, atque inſidentes frondibus fortunatorum nemorum, totos volucrum concentus, omnes vocum differentias, æternum acroama depangunt; pippiunt, minuriunt, fritillant. Ad hæc proſtant Principatuss parent, Dominationes, Virtutes cælorum occupantur illius imperio, noſtra vtilitate. Quale irritamentum humilitatis; Intelligentiæ illæ natura nobiles, vita immortales, fœlicitate beati, luteos nos, & ſcarabæos cu-

ra, & comitatu dignātur. Quisque nostrum simul vitam accipit, & Angelum alumnum infantis, pędagogum pueri, adolescentis custodem, viri consulem, scipionem senis, mortui aduocatum. Quotus hæc audit, & aduertit. Magni nos Deus æstimaret, si destinasset angelis apparitores, compararent illi obsequia nostra admittendo. At modo Deus illos exerceri voluit, nos frui; nos thesaurum facit, Angelos custodes.

Propter quod equidem par, & æquum duco (AA) vt, quoniam scimus nos Deo charos esse, Angelis commendatos, incipiamus ipsi nos æstimare, ne quis animam suam, depositum Angelorum, diuinæ particulam auræ huius vitæ sisterrio, aut voluptatum crepundijs vendat. Deum ministris, nos custodibus metientes, illi grates, his vicem referamus ob-

se-

ſequendo, vt quomodo olim à Auguſtus delatam poetæ operam alio poëmate exoluit; ita nos Angelorum miniſteria officijs, curam affectu, præſentiam reuerentia compenſemus. Pudere nos non poteſt, pigere certe non debet illis obſequi, impendi, quos nouimus nobis præſtantiores, experimur eſſe amicos. Quantum enim implorantibus accurrere, neſcientibus prodeſſe, nec mora vinci, nec tædio ſolui, & demum tantæ operæ pretium in profectibus noſtris collocare? Numerandum eſt ſtipendium magiſtris eo, magis mercede dignis, quominus mercenarijs, quoniam non aliud optant, orāt, nundinantur, niſi vt diſciplina ipſa imbuamur; tum denique gratiſsimi, ſi illos exprimamus. Ne ergò nequidquam duces tam dexteros acceperimus, quin conſcripti eorum ſigna ſequamur, ne indociles nos doctores,

beneficia ingrati ſcapiamus; & magis eorum nitorem innocentia, vires admiratione, officia obſequijs proſequamur, æterna gratiarum memoria, reciproca beneuolentiæ charitate, aſſidua nuncupatione votorum, vt, quando non poſſumus naturam eorum intellectu aſſequi, virtutes voluntate amplectamur.

DESIVI.



PRO.

PROLVSIO

Quarta.

De Gratia Sanctificante.

DEmoſtenes ille Suadæ Attica, & eloquentiæ medulla, aliquando ad populum Athenarum perorabat, facundiſsime ille, ſed non ad ſtomachum aliquorum. Vetitum eſt ergo ei ne pro roſtris diceret, ſed ille ſaltem hoc addidit: Adoleſcẽs, quiſquam ſub æſtatis tempus aſinum Athenis Megaram conduxit; ſole dein in meridie flagrante vterque, ſcilicet locator & conductor, ymbra aſini ſe tegere cupiebãt, repellebatque alter alterum.

Ille, inquiens locasse se asinum, non vmbram eius; Qui autem conduxerat, emisse se omnem vsum eius. Quæ cum dixisset Demosthenes, abibat; sed apprehenderunt Athenienses abeuntem, &, vt absolueret historiam, orabant. Ita illi de vmbra asini dicentem sustinebant, de serijs, & vtilibus nolebant. Adeo interest quid quibus dicas, & in cassum facundia se fatigat, nisi cum Musis etiam Gratias in theatrũ ducat. Optimum argumentum obsoletum est, nisi faciat ad saliuam auditorum: suadere non poteris (nedum persuadere) nisi quod dicturus ei placeat prius quam prosit. Quæ ego vt verisima esse video, ita fælicitatem meam æstimo in hodierno argumento, quod suaptè natura est tale, vt nequaquam egeat lenocinijs verborũ audienti commendãdum, cum se ipso sit pergratum. Nam quid-

quidni gratum illud sit, quum Gratia illud sit? Quidni illud ametur, quod est ipsa amicitia? Aut, an quidpiam libentius audiri debet, quam si lubentia ipsa pro rostris, ac foris sic dicatur, vt palam appareat ipsum quod est homini charissimum, etiam vtilimum ei esse. Hoc ergo volui ego esse orationis meæ argumentum, ni fallor, opportunè, vt quum ab auctore illa facundiæ laudem sperare non posit, à materia gratiã mutuaret; & quanquam hiulca dictio nequaquam moram vestram (AA) aut modestiam in audiendo mereatur, sed nequaquam auersos, aut somniculosos vos aspicerem, dum interim gratissimum vobis obiectum, hoc, est, Gratiam ipsam propinarem.

Et quæ illa? Illa vtique qua interior, & verior homo reparatur, præposteram iuuentam in senio auspicatus annuatim,

etiam dietim per quam in ruina domicilij hospes sartus, tectusque est, & viget, ruderibus sidentibus elatus. Ita enimuero interior, & melior homo exterioris hospes, tabernaculo corporis circumfusus, sine ipsius motu, & notu viuit, vigetque non segnius, quam pullus ouo obsessus intra fatiscentem corticem adolescit, vsque dum inuolucris illis exclusus per calcata ipsa iter sibi aperit ad auras, & remigantibus alis, ad cælum, & solem libratur. Et quotus quis ibi volucrem videt his ;institis obductam? quis olfacit, aut audit, ac non potius hiante cortice putat etiam vitellum, & albumen affecta esse, & iam iam corruptioni deuota. Ita laborat fides vt fidem faciat in effœto corpore animam virere, & tamen anima viret. Supra captum vulgi est fieri, quod non sentitur, & fit tamen. Denique vltra omnem

nem naturæ industriam est, nasci aliquem denuò, nisi interim vita defungatur; & tamen in hac mortalitatis vsura superfœtatione gratiæ anima ipsa animatur. Da mihi Guarinum Laletanum; Da Mariam ortu Aegyptiam, cute Mauram, rore ambustam, hanc vmbræ similem, illum verè quadrupedantem, cui iam denique comæ in iubas, volæ in vestigia transierunt; hæc, inquam, hominum simulachra, & ferè nomina, (quos delicatulus quisquam non nisi radio tangeret, ne sic quidem, nisi vt ei stomachus sus deque verteretur,) cortices nuclei, conchæ gemmarum erant. Squallida illa membra, tot tempestatum ludibria pulcherrimum hospitem continebant. Illa tabernacula Cedar, nigra, & noctem induta, intrò pellibus Salomonis relucebāt. Scilicet in corporibus horum Naturæ vitium apparebat,

bat, in anima Gratiæ iuuentus, verna illa, & succosa, tot coloribus bella, vt is etiam qui eam imbuit, obiectu eius capiatur. Hoc nimirũ diuinæ Gratiæ donum tam est veri nominis; vt totum hominum ornet; non raptim, & similiter omnem, sed partiariè & minutatim. Fateor animæ nostræ organa, & segmenta non sunt, nec si sint, apparent, & quanquam Potentiæ eius ratione prodantur, sed nec ipsa se intelligit, nisi per symmetriam materiæ, & corporis sui compagem. Hoc constituto, audiatur Agnes Mundum hunc muliebrem Christianæ gratię iextollere, idest, explicare: [Dexteram meam, (inquit) & collum cinxit lapidibus pretiosis: tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus, atque coruscantibus gemmis: Annulo fidei subarrhauit me, & tanquam sponsam decorauit

me

me corona, induit me cyclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me] atque alia, aliaque quæ in hanc sententiam illa experta addidit, non optima Gratiæ adscribens, sed varia. Ipsa quidem vna est, aut vt maximè trina, sed tercentum gratias vna Gratia facit. Mare magnum, quod & Mediterraneum, primo fluit ad Meridiem, tum ad Septentrionem per mediam terram vsque Occidentem; quo decursu vnum, idemque sinus (quot illi) facit, primò Balearicum, tum Ligusticum, adhæc Tyrrhenum, & Hellespontum, tum Pontum, inde Propontidem, qui postea angustus Bosphorum Thracium agit. Planè ita hic fons aquæ salientis in æternitatem, hæc stola cingit nos vndique, & ornat, vnica ipsa, & constans plurima habenti præstat, Intellectui fidem, concupiscentiæ spem, arbitrio charita-

tatem: Intro ipsa meditullio animæ, tanquam aranea centro, sedet, omnia in se nectens, se in singula fundens. Nam quis nesciat Fidem Deo gratam, gratam Spem, Charitatem autem ita egregie charam, vt nihil ea gratius, ne Gratia ipsa quidem? Ita illi, tanquam Dianæ.

* *Accurrit numerosa* Charis *docilesque vocari*
Hinc, atque hinc geminis glomerantur Oreades alis,
Ver omnes, ver omne gerunt, calathisque supinis
Larga per attonitum dispensant cinnama campum.

Spargunt enim in sinum eius liliorum, rosarumque messem, & quidquid vsquam amœnitatem integrare potest.

* *Ex lib. Sylu. authoris metro vndecimo.*

Dum

Dum calicum gremio decumanos Flora colores
Dulce puerperiũ fundit, dum diuitis horti
Dædala lasciuit vario Naturæ nitore;
Lasciuit semente solum

Quod est dicere Gratiã nequaquam in comitatam procedere, quin vbiq; hospitij sui, virtutũ theologicarum societate, moralium satellitio circumfundi, atque illi vbique adesse lilia puritatis, rosas pudoris, violas patientiæ, thymum fortitudinis.

Et verò quidni hac pompa procederet is quem Deus amicitia sua dignatur. Scimus enim amicitiæ primum sacramẽtum esse similitudinem, & communionem bonorum, vt non absurdè quis dixerit amicos chorum agere, in quo etsi non idem vtrinque sonet, sed nihil dis-

diſſonum audiatur ; hoc eſt , neuter alteri obſtet , vterque vtrique obſequatur, & tanquam Echo audita repetat , vt vnius vox alteri plectrum ſit, cui icta reſpondeat , atque ambo ita numerum faciant , vt non plura velint , ſed idem pluries. Hic te volo aduerſarie , an ſic conuenire viro probo poteſt ; niſi vir probus ? An forte prodigus parcum amet , ſuperbus modeſtum ? Quam ineptè temulentus abſtemio , doctus ſciolo inceſtus pudico iungatur ? Si ergo horum clientes non poſſunt componi , quanto minus hæc ipſa . errata virtutibus , pietas ipſa impietati. Tymon philoſophus omnes omnino odit malos quia malos , bonos quia malos non odiſſent , Et credemus , quia Deus tam caſtus inceſtos amet , fidelis perfidos , liberalis Euclioneѕ, vt in album, & ſenatum ſuum adleget fures, adulteros, helluones, colluuiem

ne-

nebulonum; ac non potius quisquis in faustissimos illos fastos est relatus, protinus & pius, & prudens, & continens, & sobrius censeri possit, quia est, esse autem quia debet.

Et vero cum constet per iustificationis gratiam reparari in nobis similitudinem Dei, & reddi ei postliminium pulchritudinis suæ, nemo nisi bardus, ambiget, animam ea gratia dignatam pigmentorum omnium arculas ornatu suo absumpsisse; Nam quid est casto simile, nisi castum esse? Quis continenti æquat nisi cõtineat. An fortè Deus noster ex fece illa Deorum est, qui verissimis probris mentitam Deitatem emerunt proiectus ad libidinem cum Ioue? insanus ad vindictam cum Marte, dolis Mercurius, Bacchus ingluuie, inuidentia Saturnus? Ac non ille potius, & pietas, & probitas, sanctimonia ipsa, nedum

san-

sanctus est? Qui ergo hunc exprimit, qualis esse debet, exprimit autem iustus. Qui hunc coloribus describit, nutu, ac motu imitatur, an non extra suspicionem, supra laudem est; & eum tamē iustus coloribus describit, nutu, ac motu imitatur. Paradisum olim plantauit Deus, tot illecebris charum, arborum ordinibus frequentē, ordinum frequentia æqualem, fructu diuitem, flore blandum; verbo, patriam, ac domicilium voluptatis; quorsum credimus? excipiendo homini, quem colonum ei, ac dominum destinauit: & ambigemus, an ipsum ea varietate induerit, quam calcandam ei præparauit? Sed absint omnia; volo his argumētis exarmari, nolo hic homini prospectū, nolit idipsum Deus; saltem Deo ipsi cautum velimus, ne quid ei maculæ affricemus, dum hanc Gratiæ gratiam negamus. An tu enim

di-

dignum principe ducis adoptare in amicitiam seruos, icere pacta cum populo, & salutare socium, ac conuiuam suum quempiam ex fœce plebis, ac pistrino. Renuit olim fœdera Q. Tubero cum Tib. Graccho, quia paupere; cùm Iuliano Augusto Ioannes Romanus quam impio; cum Antalcide Artaxarces, quia priuato; Amicitia enimuero pares hinc inde aut inuenit semper, aut facit; Fateor Deus inuenire pares non potest, quia nec Deos, sed potest reddere ipse diuinos; sufficit, vt diligat, non enim amicus est, nisi æquali; nòn potest par Colosso esse nisi procerus; est autem amico par alter, quia amicus.

Vide, quam vera loquar, pumilus gigantem osculari non potest nisi crescat, aut certè ad ipsum ille inclinetur: non potest ad diuinam beneuolentiā subrigi cōditione depressus, nisi

nisi dignatione erigatur; atque ita, aut deprimit se Deus, quod pati non potest; aut erigit nos, quod facere consueuit. Erigit ergo amicos, & quia tales non inuenit, facit; nec sine amantibus Deum esse decet, nec amicũ Dei esse sine deitate. Quum amamus, vicem recipimus, quũ diligimur, sumus diuini: Ducit nos in sponsas Deus, sed dotatos; & quia indotatos reperit, ditat. Dat ille quod in nobis videre ipse vult, & inueniri illũ decet, non aliter, ac olim Alexander rex amicitiam cum Ionatha sanciuit. Nempè ille Alexander Antiochi nobilis filius, quum intelligeret Martiam virtutem eius, & commissa fæliciſſimè prælia, ratus, quod erat, eius suppetias momento sibi futuras aduersus Demetrij regis insultus, statuit fœdus icere cum eo allecto in societatem priusquam eum Demetrius suis partibus addidiſſet.

Sed

Sed cùm Ionathan imparem sibi notasset, vtpotè ducem duntaxat & militaris reipub. caput, ne quid suo honori eius societate decideret: * *misit ei purpuram, et coronam*. hoc est, regem eum dixit. Ità sane Deus, qui quum optimus sit maximus etiam est, nequando amicitia maiestati detraheret quod priuatis nobis iungatur, reges nos dicit, sceptro, & corona sertatos. O ingenium ter, quaterque magnificum! ò magnificentiam septies ingeniosam, qua & maiestati principis cõsultum est ne sideret, & priuatorum humilitati, ne fastigio illo careret. Quis iam hominum hoc stratagêma pro dignitate extollat, pro magnitudine æstimet, aut gratitudine vlla rependat? Quis non donum illud tercenties bonum, beatumque proclamet, quo infinitum interuallum redimitur, immensa di-

* 1. *Mach.* 10.

dignitas confertur, latissima imparitas æquatur.

Explicauit olim, & nunc Deus potentiæ suæ sphæram in creando, quum tot corporum materiam ex nihilo eduxit. Scilicet ibi naturæ Calpen fixit, & in illo epigraphen: *non vltra*, imo ne *citra* quidem, quum eo vsque neque vllius labor accedere, neque industria possit audere. Sed quantum est embrionem illum materiæ, & pænè nihil ex nihilo educere si appendatur huic quod est finitu infinite prouehere. Illud creare est, hoc iustificare, ac proinde etiam creare. Hoc incrementum iustificatione accipimus, quæ iterùm creatos, è peccato, hoc est, è nihilo nos educit. O opus sine semine, actionem sinè subiecto, stratagema sine exemplo! Et audemus illud nos negligere, volumus illud vendere tam vili, possumus

mus esse huic gratiæ ingrati. Perfrictam frontem, adamanteum cor, vesanam insaniam peccatorum. Quotus enim quisque audit peruicaciam hãc, nec accusat; accusat eam, nec damnat; aut denique damnatæ dignam talionem pœnæ possit excogitare.

Sed est adhuc in Gratia, quod notemus: non possunt illius eulogia vno fasce compingi; Deus enim, cuius munificentia quasi mare semper fluit, & fluendo tumet, non vtcunque nos in amicos redigit, sed adoptat, hoc est, filios facit, non passus esse extraneos genere, quos gratia est dignatus. Munificentia sua vitium naturæ redemit, vt arbitrium concederet, quod origo negauit. Potuimus amici esse, nec filij; sed ille voluit amicissimos, & quasi compedes sibi obduxit, vt non solum amare nos vellet, sed nõ posset odisse. C. Cæsar Pom-

peij amicus fuit, sed Octauianum adoptauit. Octauianus Mæcenatis, sèd Agrippam adsciuit; nec quispiam ambigere potest, quin quisque principum plures amicos, quam liberos, etiam adscititios habeat, quum adoptatis numerum lex Curiata præscribat, nulla amicis. Quamquam quid hæc adfero, tanquam lex adoptatis obstet, ac non magis ipsi sibi, aut, vt dicamus quod est, angustia patrimonij omnibus. Nam quod definitum est, in partibus decrescit, nec potest magnitudinem suam sine integritate tueri. Regna principes facere possunt, sed singulos: Imperia Cæsares, sed solos; vt si alterum addas, neutrum habeas Augustum. Instruę conuiuiū vt voles, mensam lancibus, has ferculis graua; si non cesses hospites colligere, singulos bolus, neminem cæna continget. At verò diuinum patrimonium,

quàm

quàm eſt illimitatum, neque minuitur hæredum cenſu, nec iactura vlla decreſcit; ſed tanquam vox eodem diſpendio à multis auditur. Propter quod plures ſuſtinere poteſt complices, omnes hæredes, ſingulos indemnes, vt cuiuſque rata pars, hoc eſt, totum, neque ſocietatis anguſtias, neque ſolitudinis immunitatem experiatur. Quid ergò magni eſt quod huic grandinent amici, fluat tempeſtas filiorum, quos interim ipſius amor ad mutuam amicitiam irritat, quum in illo conuenire nō poſſint, niſi ſecum prius concordes, id eſt, amici illius eſſe nequeant, niſi ſint alterutrum fratres. Salue Dei Anteuorta: Salue ſancta parens enixa puerpera fratres: Nempe non hæc adoptio nutu alicuius, & alieni arbitrij vſura quomodo apud homines celebratur. Fœdus hoc nixum dicit; adoptatus à Deo naſcitur, no-

bilissimo stemmate repetitus; quod quidem credere, & pati nos possumus, eruere autem non item. Beneficij sui compotes nos Deus voluit, stratagematum nequaquam: Naturæ ortum nescimus, & illum Gratiæ capiemus? credo non equidem, sed tam aberit intellectu nostro, quam vsu. Nempe apud nos, qui alterum adoptat non facit eum suæ familiæ esse, sed censeri; fortunæ eius aliquid fortasse addit, naturæ nec hilum: quo minus mireris adscititiam prolem paterno genio destitutam nihil cum eos commune habuisse, nisi possessiones. Adoptione Augusti Tyberius editus est: pape, quam alter ab illo, palmaris scurra, & primarum partium nequam? Micippa Numidarum Rex ineptus hic, & læuus, aperuit omnino quam lubrica merx est homo, quum Iugurtham fatum, & fulmen familiæ suæ immisit stir-

pitus

Pitus euertendæ. Nè alios adijciam, quibus historiæ tument, aures tinniunt; qui quamuis lapsi sint in delectu filiorum, sed denique ignoscendum ipsis est, quia non potuerunt facere quos eligerent, sed eligere quos inuenissent. Illi ergo negotium hoc committendum fuit, qui solus & eligere aptos potest, & aptare eligendos: qui errare interim, & promouere indignos non potest, quando meritum dignitatis suo calculo semper aut approbat; aut concedit. Nec sanè aliud expectandum fuit ab eo cui abest iniquitas æque ac inscitia; & neque circumueniri in delectu potest, quia omnia penetrat; neque (quā æquus est,) inclinare quopiam nisi superpondio, & momentis meritorum. Nos enim in dispensandis gradibus plerumque aut errore labimur, aut affectu; hoc est, aut volumus decipi, aut debemus: neutri

ille obnoxius cuius arbitrium æquitas, intellectus prudentia est. Sane autem, etsi in quaq; actione eius ad suffragiũ operis sufficiat auctor, tamē hic nō potuit sequius egisse, vt quoniam adoptando gignere voluit & gignendo adoptare, optima quæq; illis concederet, quos maximos ipse reddidisset: vt nihil sibi sine participatione, ne naturam quidem reseruaret ille, qui per gratiam adoptionis genus humanum denique reddidit diuinum. I iam impie, I tot gratijs ingrate, ac proinde indigne; I, inquam, & hanc gemmam pretio ac pondere decumanam pulte voluptatis vende: I alter in perniciem tuam auare, & eam lucello tuo commuta, auidus vt perdas, atque in tua damna ingeniosus. Ite inuidete vobis lætissimam sortem, ortus vestri non dico nobilitatem, sed Deitatem. Et quoniam in dies dementia vestra in-

insolescit, arripite pugillares; & expungite nomina ijs tabulis, quibus conscripti estis filij regni, & vel inde hæredes. Cui dolebunt vices vestræ in malis qui nō potestis pati fœlicitatem? Ite errones, & pupi ad huius vitæ crepundia; vel si errare non vultis, receptui canite, certè autem respondete: discite stulti quam messem in hoc semine suffocatis. Audistis aliquando, quod Elysium præparauit electis suis Deus: Illa æterna Tempe, & paradisus amænitatum: Illa, illa, quantum illa sunt, vobis cùm gratia decedunt, vt exaduerso ipsa domo recepta adfert Amalthæam vniuersorū. Quod ridet in hortis, quod sapit in cibis, quod formosum in specie blanditur, quod volupe in delicijs delectat; Id enim omne, & ampliùs centum superpondijs cum hac Gratia spondetur, dabitur, debetur. Tu tantùm depositum

custodi, arrham hanc aliena turre velut inclusam Danaën obserua, vt, cum ad metam itineris præ foribus cæli chirographum hoc prætendas, ocius tibi totum numeretur. Simile est enim regnum cælorum sinapi, quod quidem initio inane, & in sua specie tritum, acrimonia mordet mandentem; at cum deinde adolescit, maius est seipso, imò omni olerum tumore, & fit arbor, vt volucres cæli hospitét in ramis eius. Quis enim audiuit, quis intelligit grana ramos habere? & habent tamen. Quis capiet, minimum esse aliquo maius? & est multis tamen. Nempè granum illud compendium arboris est: Totum illud tentorium ramorum, fructuum pretium, frondium vmbella in angustijs illis præcessit. Regnum Cælorum intra nos est, iam quidem contractum, olim autem explicandum; nunc in semine, alias autem

tem

tem in fœtu: Prodige gratiam, & expecta gloriam, si desipis; vel si sapis, despera. Et quia amplitudo regni iam nunc in angusto gratiæ est, interim aliqua saltem diligentia eam dignemur. Quia merx hæc Gratia est, sit etiam nobis grata, nec patiamur eam crepundijs mutari, aut malo dolo subduci. Gloriemur nos adoptatos in familiam principis; gaudeamus adlectos in hæreditatem patris; miremur nos regenitos interim, nec defunctos. Sit nobis gloria nobilitatis insigne, gaudium gratitudinis monumentum, admiratio autem occasio philosophandi, vt æstimemus methodum adoptionis nostræ, quæ quum minus valere potuerit, sed ita digesta est, nè possit valere magis. Enimuero illa exprimit partum æterni Patris, ortum æterni Filij, dum singuli nos tanquam minores fratres ad ideam primisumus

etiam geniti, magis quam facti. Quid posthac inter nos de nobilitate quæritur, quasi delectus eorum haberi possit quorum singula sunt summa; An quidquam altius supremo est, & tamen omnes in illo sunt pares; quod etsi nequaquam ego ex fide, aut fundamento dicerem, sed publico bono crederetur, quum etiam Alexander ille victorijs congerendis natus, plura bella diuinitatis opinione, quam militũ virtute confecerit. Maiores vestri (ciues;) auspices tui (Roma) oriundos se Marte sparserunt. Nè memorem, vt Caius Iul. Cæsar, & ante eum, Aeneas Venerem parentem iactabant, siue vt ipsi superba saperent; & altum spirarent, nil abiectum dignitate sua dignati: siue vt ijs, quos inuaderent, sacrilegij conscientiam inijcerent, si Dijs obsistere auderent cum Titanibus feriendi. Adeò non minimus ad virtutẽ stimulus est


vir-

virtus maiorum etiam tum, quum stagnat illa, & nequaquam per traducem ad nepotes deriuatur. At verò, quid tum dicturi, quum gigni non solum natura sit, sed virtus, semen ipsum virtus, vita virtus, Deus auctor, spiritus vterus, affinitate infinitati iungamur. Sanè vt tot argumentis addam Colophonem, si quis in nobis est igniculus probitatis, quando aliquid ingenij genio; si quid in homine humanitatis, eo nitemur, nè demerito nostro tot Dei beneficia prodigantur, nè frustrà nos ille adoptauerit, nè amauerit immerentes, aut aliquando pæniteat eum ista nobis præstitisse. Quin magis, qûia tāti ominis gemmam gratis accepimus, quod vnicum deest addamus. Aestimemus eā vt pretiū, tueamur vt depositū, amemus vt nostram, seruemus vt alienam, & nequaquam committamus post hoc quale quale in-

dicium eius, seculi huius illecebris aut eripi nobis eam, aut commutari. Quin quia cogitasse eam æstimasse est, neque vnquam in mentem nostram, aut memoriam sine ipsius laude, benefactoris gratitudine accedit, ruminemus identidem quod per ipsam esse cepimus, vt vicissitudine aliqua officij tot gratijs gratias si referre non possumus, habebere certè audeamus.

* * *

PRAEDIXI.



PRO.

PROLVSIO

Quinta.

De Gratia adiuuante.

VIdeo ego hodie, vos (AA) experimini, quã meritò olím princeps Orator afferuit, humanum ingenium inquies & auarum, inde plura repetere vnde aliqua accepit; vt impetratio gratiæ sit postulandæ semen; & quod debuerat coërcere importunitatem, irritet. Dudum iam dixi de diuina gratia tam lubẽtibus vobis, vt iterum audeã eandem crambem recoquere, blanditus mihi de alieno, quasi vobis in

exacta oratione ornatus aliquis dictionis meæ, & non magis materia ipsa placuisset. Sed fuerit in me error, scio apud vos excusandum, quum nullus magis venialis eo sit, qui ad gloriam creditoris laxatur. Ipse autem, dum non audeo de sequentibus diuinare, saltem ad præterita reuoluar, vt si minus secundam orationem incipiam, saltem priorem absoluam. Aut enim vna & simplex est diuina Gratia apud homines; atque ego hodierna dictione priorem duntaxat integrabo; aut alias, aliasque accipimus, quod adhuc melius suspectæ tautologiæ subducet me, cui in diuersis tractatibus nihil idem, nisi nomen recurrit. Vidimus in præmissis Gratiam specie, & pulchritudine sua, nunc eam pro viribus videamus. Ibi, quam amabilis illa, & ad extorquendum affectum rapax; hic quam valida; brachio magis quam vul-

tu æſtimanda. Ibi Sunamitis fuit, hic Amazon, quod vtrumque argumentum ſpero non magis vocabulo, quam re ipſa gratum vobis fore, ſicut eſt vtile: quum prior illa fruſtra vos demulſerit, niſi hæc altera poſſit adiuuare. Opus nobis eſt & præſidium, & decus: iſta præſidium, illa decus, tanquam Helena, capere intuentes poteſt, & capi; vt vbique ditiſsima poſſeſsio facillimè poteſt perire. Si ergo hodie ego pro roſtris his oſtendam vt illę Charites coeant mutuo, ac dent manus, vt exacte inuicem iubeant, & faciant ſe ſaluere; vt Iuſtificationis gratia Actualis auxilijs egeat & vtatur; ſpero equidem neq; operę iacturam, neque auditus veſtri abuſum, ſed ſtipendium facturus ero, tãquam qui Vlyſsi cuipiam Penelopen à tot procorum inſania ſartam, tectamque reſeruem.

Nempè nouimus delicata quæ-

quæque fragilima esse, & in Periculorum alea, velut in castris, degere. Chrystallo quod pretium foret nisi fragilitas adfuisset? Flores quam chari, nisi deflorerent? Et, nè circūducar, aromatis & suffitui quid deest ad naturæ nobilitatem, nisi mora? Sed enim deest quod summè expediret adesse; adest, quod optandum foret nè accessisset, pronitas illa decessus, & commeatus abeundi. Dei enim gratia, vt & natura, peccatis nostris consistere nō potest, nec omnibus solum, sed singulis etiam obstat, ac excluditur; & vndique rerum leuissimè amittitur, quod difficulter tenetur. Quotus est enim, qui illecebra voluptatis aliquādo titillari nō modo sentiat se, sed sinat? Quis honoribus repudium mittit, ac non magis ambitum, & emptorem? quod etiam de pecuniarum, ac prædiorum voto quærere possem, & respondere,

quum

quum videamus, doleamus etiam inter Euangelij præcones plures carpere ea, quam fastidire. In hoc, inquam, bello, mora perpetuo, hostibus acerrimo, momentis periculoso, quis miretur lapsus, aut exprobret deformi cicatrices? Et tamē quoties nos cunque aut impellimur in peccata, aut ruimus, protinus Dei gratia nos deserit, & tanquam Astræa terras relinquit. Non enim illa labi potest, vt nec ignis sidere: non feritur cum transfosso, nec cadit cum ruenti (quo enim modo regula esset, & obliqua?) Adeò occurrendum fuit periculo, nec expectandum ipsum, sed præueniendum, vt quum hostis minaretur incursus, etsi quietos lacesseret, saltem non inuaderet imparatos. Hoc est (AA) quod hic audituri sedetis, quod ego adsto dicturus: Arma acri facienda viro, quibus vim repellere possit, etiam præueni-

re;

re: quibus peculium, & thesaurus hic gratiæ honestantis etiam in fictilibus thecis euadere possit ruinam, ac rapinam; Non enim existimandum est deesse nobis aut vsum armorũ, aut copiam, sed vtrumque abundare; vsum ob pericula, copiam ob vsum. Nam quid est vsquam natum, cui natura non dedit armaturam? An par fuit inimicum rebus dari, nõ dari subsidium, eo valentius, quo infirmius erat id cui consulebatur? Segeti spicas, spicis aculeos: pecudi cornua, volucri rostrum, serpenti venena, homini iram dedit; vtique tanquam telum, quo ab inuadentibus se tuerẽtur. Et credemus, quia Sunamitidem hanc sanctitatis inermem esse voluit, ac non magis fæcundam, ac fabrã armorum. Et quomodo ex spicarum culmis aculei surgunt qui messores pungunt, ita ex ipsa Gratia florum, ac dono-

rum

rum regina auxilia illa oriuntur quæ inuadentes possint valenter reuerberare.

Mirandus est magis vsus, & egestas horum, cur cuique sint comparanda? vbi hæc Helena hostes inuenit? Cui hic habitus Gratiæ ita ingratus, & extra effectum fuit, vt offendiculo ei esse vellet, etsi posset, aut posset nisi deberet? Huic gripho, sanè nō absurdo ego vt facerem satis repetēda à stirpe foret Naturæ nostræ natura, certè autē fortuna, conditio, ac primitiæ ortus; vt olim in parentis nostri adulta pueritia, in paradysi patria, Deus opifex hominem rectum fecit, hoc est, parem sibi, ac symphonum, in quo tanquam in temperata cythara, fides omnes mutuo, singulæ reciprocè responderent; Concupiscentia arbitrio, ira rationi, vtrumque Deo pareret, cuius imperium ad omnia, non exequi solum, sed expectare etiam de-

debuissent. O fęlix necessitas; necessaria libertas ab impotenti hero dicam an tyranno carnalis pruritus, quiquum excusso fręno, & phaleris abiectis rupit etiam repagula, protinus per abrupta, & inuia vitiorum agit sessores, non quo volunt ire, sed quo debent. Fateor, circumducta est plaga illa, fota oleo sacramentis tanquam instititis obligata; sed enim restitit adhuc ferrum intra venas,

* *----hæret lateri lethalia rundo*

ipsius efferati pruritus, qui proinde peccatum audit, quia ad peccandum instigat.

Habes ergò (Auditorium) hominem olim rectum, iam inclinatum: vt ergò erigi hic, & quasi perpendiculo statui posset, nonnè ab altera parte alliganda erant momenta, & machinæ, quibus à pronitate illa animali ad staturæ regulam reduci?

* *Virg. 4. Aeneid.*

reduci posſit, non dico ad virtutem exaduerſo inclinari? Perdidit ibi intellectus noſter aciē ad euidentiam ſequendorum; ac proinde inſpirationibus egemus Obtuſus eſt appetitus virtutum, & vel inde egemus cōdimento, vt ſuaue fiat quod abſterret. In acie eſt exercitus Philiſtijm cōtra populum Dei, duce illo Goliath, qui quotidiè ſingulos prouocat; propter quod ſanè inſanus eſt qui cingulum abijciat, & inter tot periculorum agmen mortifera ſecuritate obdormiſcat; quum etiam hoſtis non ſolum vi, ſed quam maximè dolis nos ſupplantet. Ecce enim (Auditores) vt impares ei ſumus: noſtrum quiſq; quum ab eo laceſsitur, vt maximè adoleſcit, bis ſex annos natus; ſin autem bis denis, aut etiam vſque octoginta; vt hoc ſtare poteſt, & grauare lancem aduerſus eum, qui tot millibus annorum viuit; qui ab ouo doctiſsi-

tissimus, adhuc assiduis experimentis discit nos demoliri? O ergò infaustos nos, & læuos, si huic leui armatura occurrimus; si non vndique septi, oculis Argi, aculeis Ericij incedamus. Ità ille insomnis draco inducias belli non habet; sed qua clam per cuniculos agit captata fomitis occasione, qua apertè, & palam per sensuum obiecta tanquam explosis tormentis non ferit: Quum etiam hic ignis quasi Babylonis fornax septuplum accendatur inuidentiæ oleo, quo aduersarius noster diabolus, tanquam leo, felicissimam sortem sibi ereptam, fremit ad nos transisse. Quis hic obsessis nobis, quis tam miseris non misereatur, ac non putet totam Lemnũ, omnes Cyclopes cudendis armis intentos potius plurimum edere posse quam satis. Vt ego cum Pelagij insaniam cogito in hoc discrimine fastidientis

ar-

armaturam, putem planè id ei accidisse, quod de lamia tradũt, scilicet domi oculatam, quum foras procederet, oculos, nescio quo in vase dimisisse. Ita ille, quum in Ecclesia; quæ est domus Dei persisteret, oculis præditus vsum armorum admittebat, neque vnquam eum detrectare posset nisi deserta fide, animæ oculos post se relinqueret in Ecclesia, quam dimisisset.

Quid enim hic Naturæ vis iactatur; fracta illa, & elumbis quasi iam inclinata, & tantum, non confecta tam valido hosti superesse posit, cui ne integra quidem obstitisset. Furor est, expectare in morbo id, cui sanitas non suffecisset; iuuenes prætermittere, & senes ad bellum gregare. Quid, inquam, hic iactatur Natura, cui repugnandum, est; aut quid insipientius quam inimicum in copijs numerare; Inimicus autem ho-

hominis domesticus est, adeoq; difficilè cauendus; aliquid nostri est, ac proinde minus suspectum, quum interim tamen in nos ipsos militet, & validissimè castra metetur; Nam qui incestus, aut adulteria, nisi suadente carne perpetrantur, furta, & rapinæ illius delicijs præludunt, nec enim anima his sordibus, aut capi potest, aut saturari. Dum ergo conflictus cum Natura geritur, an non stultè admodum suppetiæ à natura ipsa expectantur; quasi illa possit non ipsa esse, aut esse sibi eadem, & repugnare. Ergò Gratiæ ope Naturæ occurrendum est, & nequaquam idem contra se armandum, vt, quoniam natura ei renititur, non impunè resilire auserit, sed reciproco impetu verberetur.

Ad hæc, cogitent isti disputatores, aduocati Naturæ, & diuinæ Gratię perduelles, cogitét, inquam, finem nostrum nequa-

quaquam virtute definiri, aut ſi vlla, certè autem non ea cui adquirendæ deſudamus; nec enim terminus in medio, finis in itinere; præmium in merito ſtatutum. Illa citra manent, hoc vltra it, nobilius eo quo emitur, cæteroqui ſtultiſsimè emendum. Scopus operis noſtri, limes viæ, ſtipendium militiæ eſt gloria: hac mappa ſudor noſter abſtergitur; ipſius ſpe, labores noſtri condiuntur. Non foret magnum quid gloria, ſi naturæ licuiſſet; obuia faſtidio, difficilia in deſiderio ſunt. Aut ergò æſtimanda eſt Gratia, aut beatitudo deprimenda: non poteſt aliquid ſummum eſſe, & par vili. Iam quid longius cælo abeſt quam noſtrum lutum, aptum natum ſidere, hoc eſt, cælum, & ſuperna illa magnis paſsibus declinare. Quæ illa materiæ noſtræ natura, Naturæ ſuperbia eſt, vt beatam vitam ſibi promittat, quæ nec diu-

turnam potest præstare; nam quid tam circumcisum, ac breue, quam hominis vita vtut prolixa. Quam impos infantia eius, stulta pueritia; iuuenes quot insanias insanimus, dum denique decrepitos pudet nos viuere, piget mori: Hæc scilicet, si Deo placet, beatam æternitatem sibi afferet, quæ miserias nec vitare potest, nec protrahere. Et tamen tumemus interim, nec aduertimus eam in nihilum indies, aut tendere iugiter, aut trudi; certe autem pergere, vt in originem suam relabatur. Elementa alternis pereunt, mixta elementis; animalia integra senio desinunt, affecta morbis dies moritur in noctem, veris amænitatem æstus æstatis incendit: Cælum ipsummet, & sydera, quæ sola his vicibus subducta, ludunt imaginem mortuorum, dum quoto die, & anno religiosissimè ab ortu in occasum de-

uoluuntur. Eat nunc aliquis Pelagij de grege bardus, & garriat subsolarium rerum naturas seipsis consistere posse, cum nec Sol ipse stet, Expectet ab ipsis æternitatem, quæ nec periodos in longum producere possunt. Dicat denique gloriam sine gratia contingere, cum & ipsa gratia non nisi gratis habeatur. Quanquam quid illos impellimus in errorem, qui ruunt, ac non magis palantes reducimus, & monemus, beatã æternitatem neque per naturę vires, neque sine illis acquiri.

Sunt quidem aliqua generis nostri capita, quibus etiam segnibus illa fœlicitas obuenit; sed sunt illi pupi, quibus aliena industria succurrendum fuit, quia non possunt sibi prodesse: Etiam adultorum aliqui in consortium fęlicitatis admissi sunt, sed semel, quum primum scilicet per Baptismi tesseram in familiam Christi adscribun-

tur. Decantatum est illud iter Hebræorum, quum soluta captiuitate, ex Aegypto in Palæstinam frequentissimas colonias duxerunt, sed non omnes similiter; nempè primum aquas traiecerunt, impunè illi vndarum obsequio excepti inde inde tumentium in geminã ripam, quarum ruina inimicam classem, hoc est, Aegypti quadrigas oppressit. Tum vero aduerso littore excepti, non elementorum militia, sed sua fuit illis vtendum: ibi admittere victoriam debebant, hic etiam adipisci, & per armatas phalanges vi viam aperire, subinde etiam suorum cladibus, certe autem sudore felicem Campaniam ijs asserere, quibus eam Deus sacramento, & stipulatione spopondit. Ita est (AA,) quod ibi præcessit, hodie rediuit; nunc Ecclesiæ, ac testamẽti quum primum Aegypto soluimus, hoc est, inferorum do-

mi-

minatu relaxamur, aquis ferimur, Baptiſmi lauacro in alteram ripam aduecti; Immune, impunè omnes, tanquam in aquatili naui vndis vix imbuti. At verò, quum deindè inuadunt nos Amalec, & Iebuſei, nequaquam eos, quomodò Aegyptios, putemus extinguendos aquis, ocioſi ipſi, nec niſi ſpectatores: repugnandum obſtantibus, obſtandum pugnatibus eſt, & audendum porrò per hoſtile agmen, per iras, & arma inimicorum, & vltrà cuiuſque induſtriam diuina imploranda eſt, vt non ſolum corpus in armis excubet, ſed animus in oratione. Nam ſi quo minus duramus, ſi ſegnitie effæminati orationem truncamus, animos inimico addimus, ſimul ipſa, & victoria hoſtis exuti: Cuius etiam typus in populo illo præceſſit. Nempè quum is maritimo itinere defunctus terram porrò ſuperaret, occur-

rit Amalec. & inuasit acer vadentes, nec vlla vi militum repelli posset, nisi plus Moyses precibus, quam illi ferro repugnarent; vt, si quando precem suspenderet, protinus Amalec superaret. Nè nesciamus (AA) ad afferendam beatam oram, ad Palæstinam Paradisi occupandã plus nobis præsidij aliunde, (è cælo vtique) expectandum esse, quam à nobis adhibendum. Plus Gratia, quam industria nitendum; nec vnquã tam profusè cœlestem munificentiam nobis pluere, quin in quauis expeditione, quum plurima acceperimus, pluribus nos egere sciamus.

In militia spiritali Gratia sessor est, Natura baiulus: In mercimonia beatitudinis gloria ipsa merx est, merita pretium, tanquam calculus aut numisma, in quo labor, ac industria, materia & metallum; influxus Gratiæ character regis est, cu-

ius

ſus ſimulachrum etiam plumbo pretium dat. Vœnit ergò beatitudo operibus noſtris; non qua noſtra ſunt, ſed qua grata. Deme eis quidquid non debetur, & reliquiſti tibi cadauer ſine ſpiritu, iumentum ſine ſeſſore, metallum abſq; indice, calculum citra pretium. Hyppomachus Alypta quibuſdam efferentibus hominem procerū, & manibus vltra ordinem longis, tanquam aptum ad pugillationem: ſanè, inquit, ſi corona ex ſublimi detrahenda eſt. Ita, inquam, ſi votorum noſtrorum, ſi vitæ finis, & Colophon vltima eſt aliquid intra ambitū ſenſuum, nihil ei aptius eſt Natura, quamuis animali. Si beatitudo cibus eſt, palatum ei pręparandum, ſi liquidum, guttur: ſi paludrmentum eſt, tergo, ſi voluptas, ventre excipiēda. Quæ quum neque ſufficiāt omnia, & ſingula deſint fęlicitati, ſi quis rectè rationes ſub-

ducit, negabit Naturæ nostræ beatitatem, non sanè minus, quam feris: Nam quid horum non illis ita obuenire potest vt etiam interuallo nos præcedãt? Iam vero quæ oblata capere non possumus, quis credet sufficiemus adquirendis? Industria nostra beatitudinem assequi poterimus, quum nec cogitatione assequamur? [Nec oculus eam vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit] ait quispiam, qui verissimè eam oculo negauit, quia colorata non est: auri, quia non sonora; & denique cor hominis desperare illam iussit, quod ipsa non humanum quid sit, sed diuinũ. Adscribere ergo illam nobis tanquam parabilem cænam, & nostra suppellictile ministrandã quid erit aliud quam naturam reddere planè supernaturalem?

Absit autem insania, & verò tantũ absuit quibusdam, vt potius crediderint media beatitudinis,

dinis, id eſt, obſeruantiā mandatorum, nullis viribus, quam noſtris poſſe impleri. Dixerunt Cælum non ſufficere cælo adquirendo, & hominis arbitrium, lubricum illud, ac pronum, ne quidem per Gratiam ſic ſtatui poſſe, ne cadat. Sed Catholica, id eſt, ſana doctrina his Syrtibus intercedit, vtriuſq; fuga curriculum emenſa, tenet, traditque neque ſine gratia victorias expectandas eſſe, neque cum ipſa deſperandas: Diuinũ auxiliũ per ſali huius Symphlegadas non modò neceſſarium, eſſe, ſed validum, vt, qui eo opportunè inſtructus eſt, tempeſtate aliqua premi fortaſſe poſſit, opprimi non facilè poſsit. Et verò videntur mihi vtriuſq; partis voces deſcriptæ in Scriptura, quo loco Moyſes promiſſæ Palæſtinæ accedens, priuſquam eam ipſe ſubiret legionibus ſuis rorarios velites præmiſit, qui terram omnem æquè

ac incolas eius situ, munimentis, numero, robore explorarent. Et factum: ex quaque tribuunus destinatus, non vno omnes testimonio respõderunt: nempè aliquis ait: *Ascendamus & possideamus terram; quoniam poterimus obtinere eam*: Alius autem: *nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est.* Atque illud: *Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos.* Nempe illud Lutheri: [Mandata Dei seruari non possunt.] Illa paræmia Melanctonius: [Quum mandat lex diligi Deum, perinde impossibilia suadet atque si præcipiat nobis transuolare Caucasum;] an non videntur (saltem audiuntur) vobis repetere illud: *nequaquam valemus ascendere.* Et illud Caluini: [Optimum opus nostrum in peccatum nobis imputatur:] hæc, inquam, portenta verborum nonne re-

ferunt

tunt vobis illud: *Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos*. Cum è conuerso, si nostri consulantur, illico respondeant: *Poterimus obtinere eam*.

Non ibo inficias, quin in Christiana lege aliqua sint quæ hominem vehementer irritant, & nequaquam facilè à genio nostro possunt impetrari; quale est ignoscere inimicis, nec amore tantum, sed beneficio instare: Conscientiam suam prodere, & abstrusas eius latebras in alieno sinu explicare; atque id genus alia, quæ carnem exulcerant, vt vxorum monogamia, & desperandus libellus repudij. Ista ego si negauero ardua esse, errabo; sicut etiam verissimè dicam, obseruantiam eorum esse raram. Sunt ergò hæc natura sua ardua, obseruãtia rara: sed quot sunt qui porrò processerunt; qui non solum amarunt inimicos, sed optarũt;

qui nuptias non modo repetere nollent, sed nec experiri, aspirante gratia, atque hæc nobis commendante, tam dextere, vt suadeat, tam validè vt vincat, vsque dum denique quibusdam creditũ sit nihil deesse legi Christi, nisi asperitatem. O emphasis adminiculi! O opus armorum tuorum Christe! Parum tibi erat amicis tuis gloriam dare, nisi etiam coronam dedisses. Et plus tibi cordi fuit tuorum honor, quam tuus, dũ vltimum hoc, & optimum bonorum videri vis non donare illis, sed reddere: Noluisti in seruis tuis fælicitatem, sed virtutem coronari, dum ad apicem eos per cliuum, & confragosa duxisti. Nesciretur vis tua, nisi probaretur aduersis, quæ etiam non admittis ad agonem tuorum, nisi extrema, & ad cotem difficultatis acuta. Non est magnum, nisi magna vicisse; Mediocria vir fortis, non

con-

concursu, sed neglectu, dignatur. Indiam petenti Alexandro Magno rex Albaniæ dono dedit insuetæ magnitudinis canem, cuius ille specie delectatus, iussit ei vrsos, mox apros, deinde etiam damas opponi. Vidit molossus præparari sibi certamen, & iam adesse inimicos, nec tamen se vultu, aut loco mouit, perinde ac si omnia nihil ad ipsum pertinerent. Indignatus autem socordiam animalis Alexander, iussit eum cædi, quod vbi fama regi nunciauit, alterum ei canem misit, monens, nè in paruis experiri eum vellet, sed valentibus, vtpotè Leone, aut Elephante: Fecit id Alexander, & protinus fractum Leonem vidit. Audiunt hæc homines, & adhuc queruli de difficultate Christum intra canem locant. Non potuit ipse suo honori, nostræ laudi, Gratiæ viribus constare, nisi ardua præcepisset; quæ,

quamuis acerrimè sensum carnis percellant, tamen in tanta tempestate Gratiarum, desinunt se ipsis, & mitescũt. *Computrescit iugum à facie olei.* Crux Christiana cuiq; ferenda trabs est, non vnica, aut recta, sed decussata: at obijce illi oleum lætitiæ, quo participes eius in vectura illius vnguntur: quis credet; nan vnguen ex materia ignis, sed lignum ab oleo liquescet. In certaminibus iustorum non atteritur Gratia, sed augetur; non augetur asperitas, sed decrescit; hebetatur acies ipsius huius olei frictu, vt non modo fortiter, sed & læte stadium in hoc legis decurratur. Potuit Deus delere difficultates, sed maluit vinci. Naturam reliquit, scilicet Gratia expugnandam. Lex iugum est, sed suaue, onus illa, sed leue, ne aut rebus cõditio sua, aut materia virtuti deesset. Quod audis *iugum*, natura est; quod additur *suaue*,

est Gratiæ. Quod premit onustos, humanum est; quod leuigat ferentes, diuinum. Pondus à lege est, condimentum suauitatis è cælo: Ceruix naturæ iugo premitur, sed iugales ipsi à Gratia manumittuntur. Denique acerbitas lactucarum à lege, lenitas obsonij ab oleo, vt iam, quando lex ipsa est Gratiæ, nequaquam conqueri quis possit, quum illa non possit oneri esse magis quàm volucri ala? Habet ala suum pondus, sicut & materiã; at nõ illa in ponderibus censenda, quia nimirum portat portantem: nam quomodo pondus est, quod subrigit, ac suspendit, & in aëre librat. Ita, inquam, illæ tabulæ legis, quæ onus suum adminiculis æquãt, quæ tanquã gubernacula nauẽ inter vndas mouent, nequaquã in molestijs sunt numeranda, nec æstimanda pondus quod de-

deprimit, sed basis cui insistis.

Iam verò si ista sic se habeat (vt certissimè habent) si Gratia Dei non est nobis oneri, sed agilitati, & nullibi minus, quã in damnis censenda, quam late desipere illi debent, qui autumant ipsius accessu libertatem arbitrij profligari? Nam quomodo illa adiuuabit arbitrium quod lædit, libertatem quam expungit? An simul & promouere eam potest, & perdere? Sed enim ista paradoxa sunt, digna eorum cerebris, qui qui sanam doctrinam corrigere volunt, non doceri; qui salutaria timent, & putant cauendum esse ne beneficijs Dei donentur nam quid admittere possunt nisi noxia, qui hærent in permittendis remedijs.

Ad hæc, illud saltem ex his Pharisæis audirem: num putet in flagitijs, quæ tanta libidine gerimus, libertatem nobis auferri?

ferri?

ferri? quum concupiſcentia blanditur, quum ira irritat; quando ipſa familiaritas conſuetudinis, tanquam noua natura, præcipitat nos in opus, vt velimus facere, quæ ſolemus: Hic illos expecto certiſſime ſuis armis feriendos; nam ſi velint perire libertatem, non poterũt damnare flagitium, quod eo nomine tunc indignum eſt, & immerito traducit authorem quum nemo perſtringendus ſit ex eo, quod inuitus perpetrauit. Si verò, quod veriſſime dicent; ſupereſſe libertatem reſpondeant his irritamentis impulſam tantum non impeditam, quin ſubuectam magis, magiſque; quales illi, qui diuinæ Gratiæ id detrahũt, quod etiam dæmonibus non negant? Quæ libertas noſtra impatiens Gratiæ, patiens vitiorũ? Quam ſeruum arbitrium denique, quod liberari non poteſt ne peccat, perire poteſt nè liberetur.

Et

Et si quæras, quid istos in hos scopulos impegit? dicerem plane, nisi interim risum mouerem; Enimuerò Mænippea Satyra dignum est, epulis non scholis canendum. Viderunt illi diuinas suppetias valenter in opus incumbere, nec vnquam destitui fine quem præstruxerunt: viderunt voluntatem eò præsidio fultam, non posse solum, sed velle; & quantumcunque sensus reclamet, Natura diffideat, Orcus, etiam ad deditionem inuitet, adhuc illam durare incepto, vt videri possit affigi ei, non adhærere. Non aliter ac pueri, cũ titionem circumferri vident, putant circulum igneum describi, & cõtinuum, ac latissimum ignem eo spatij esse, per quod cuspis vnius circumiuit. Ita illi crediderunt necessario fieri quod certo fit, vim inferri arbitrio, quum vires conferuntur, vicinia aliqua, & cognatione rerum

rum capti, ſed capti tamen; Gratia enim Dei fortiter agit, ſed ſuauiter; valenter, non violenter. Reſpui poteſt pro arbitrio, ſed facit ipſa nè reſpuatur. Denique inſigni ligula duo illa vinculauit, certitudinem, & libertatem; vt cum liberum debeat lubricum eſſe, ſed iam certo non cadat; & infallibile quamuis nec vitabile videatur, tamen in hoc negotio homo, etſi veriſſimè fallibilis ſit, infallibiliter non fallatur. Audiendus in hac ſcena vnus huius Gratiæ amaſius: *Trahe me*, (inquit,) *poſt te, curremus.* Num enim currit, qui agitur tantum, non agit; an currere currus putas, aut plauſtra, cum iumenta, quibus illigantur, incedunt: Quomodo renititur, qui vult ipſe trahi; quomodo trahitur, niſi renitatur? Sane optare impulſum huiuſmodi, & clamare, trahe, niſi fallor, non aliud eſt dicere, quam

quam, coge me volentem.
Tam tenui lacinia hæc combinantur; vt pænè aciem fugiant, & videantur inuicem se excludere, cum inuitant.

Propter quæ nihil minus metuendum hic est, quam necessitas, vis, aut fatum; quia vt demus gratiam alicui vim inferre posse, sed non potest volenti; sicut etiam lædere arbitrium nequit, quanto minus extinguere, alioquin ipsa non fore t ipsa; Gratia non esset gratia. Qualis enim gratia, quæ eripit quod optimum habes? quæ demit homini humanitatem.

Quare, si quid est in me iudicij (AA) quo de Gratia, & Arbitrio possim arbitrari, equidem id existimo demum Scripturarum auctoritate deuinctus, experimentorum plaustris oppressus, ratione ductus, egestate inuitatus, quod nos, quotquot spe in salutem alimur, ne-

qua-

quaquam Gratiam Dei diſpu-
tare, ſed accerſere ſtudeamus,
non examini eam ſubijcere, ſed
induſtriæ & votis velimus; vt,
quæcumque demùm illa, ſiue
neceſſaria, ſiue adiaphora, ſal-
tem noſtra ſit. Neſciri illa ſinè
periculo poteſt, negligi non
poteſt, quin olim in fructuum
penuria ſentiatur non ſola ipſa,
ſed cum bonis omnibus defuiſ-
ſe; nec magis ſine ipſa homines
poſſe, quam ſine ſanitate ſana-
ri. Illa enim (AA) illa eſt vul-
nerum noſtrorum emplaſtrum,
prurientis fomitis malagma,
ignorãtiæ eruditio, malitiæ cor-
rectio, ſine qua nec concupiſcẽ-
tiam ſiſtere, non neceſſaria ſa-
pere, aut ſalubria amplecti va-
lemus, Quæ enim inſania velle
natura naturam vincere, quaſi
quidpiam poſsis plus alteri faue-
re, quam ſibi. Si naturam ſe-
quamur, fuimus; fabula & ma-
nes futuri. Nam quæ probra
non illi placent, quotus quis in
furta,

furta, impudicitias, homicidia, nisi natura inuitante declinat. Adeo (AA) res notior est quam vt negari possit, necessaria nè dissimulari valeat; dignior, quã vt possit æstimari. Gratiæ partes, intuto positæ sunt, vtilitas, necessitas, pretium, vis, suauitas, certitudo: nostræ in lubrico sunt, quas expedit firmari, industria, opus, oratio, ausus difficilium, patientia humilium; nam illa neque desides dignatur, & elatis obstat, tanquam Dei instrumentum, qui superbis resistit, humilibus, hoc est, paucis dat gratiam.

ITE REDITVRI.

PRO,

PROLVSIO

Sexta.

De Peccatis.

TAmetſi multorum exẽplo de Peccato dicimus, ſed fortaſsis multorum ſibilo excipiemur, ſimiles illis qui de nocte ad lumen candelæ ſtyli vmbram explorant. Scilicet aliquis nocturnã horam ſciturîuit, horologium conſuluit, in quo maligna lux Lunæ tenuem vmbram edidit, obſcuram illam, & verè vmbram. Iſte autem, ne neſciret cum hora vmbram, cereum accendit, & dum explorare vmbram vellet, toto horologio excluſit. Ita, inquies; nos de Peccatis agimus, lumen vm-


bræ

bræ admouemus, tenebras ad lucem trahere nitimur, & putamus nos deprehensuros rem illius adminiculo, cuius obiectu perit. Enimuerò vmbra illud est, peccatum iniquitas, anomia gnomæ, normæ enormitas, &, vt absoluam, nihil. Esse illi deesse aliquid est, tanquam fuscum illud quod in illuminato plano describit interiectum opacum, quum Solem, aut Lunam prohibet ei lucere; velut lucifugum inane, quod ertanti organo imponit, qua motu, qua colore.

Audio ista (AA) at non proinde admitto, tanquam quæ compescere debeant dicentem, ne etiam peccata sub ferulam veniant. Vmbræ illa, seu absentia alicuius sunt, at non luminis, seu scientiæ: Iniquitas sunt, adeoque vacuum rectitudinis, seu æquitatis. Atque vtinam peccatum defectu sciẽtiæ constaret, præsentia deficeret;

ceret; ſic ſcilicet pleroſque probos haberemus ex ijs, qui interim confertiſsimè numerum peccatorum augent. At nunc, quum doleamus doctos non ſegniter labi, compellimur exiſtimare, imò etiam experiri peccata non cedere ſcientiæ, ſed conſiſtere, atque ita poſſe me huic materiæ lucem dicendo adferre, nec adferre iacturam. Quanquam quid dicam, aut volam inſano labori indulgere, quum ille, quiſquis fuit ille, qui materias oratoribus aſsignauit, mihi *nihil* reliquerit dicendum. Sed voluamus obiectum, laboremus in peculio noſtro: præſtat nihil dicere, quam tacere, eo magis, quod materiam hanc optimè is, qui peſsimè, tractat. Vndè neque poteſt hic eſſe iniuriæ, non penuriæ periculum nè minor ſit rei laudibus orator, qui nullas debet aſsignare: nè ſtagnet dicenti oratio, quum etiam ſtupidus. &

mu-



mutus ipsum quod non est dicendo, cognata facundia prosequatur. Ita ludit in antecessum desidia oratoris, & contra Criticorum morsus captat obiecti præsidium, vmbratile, & pænè pictum, non intelligens se interim nullius patrocinium, ac proinde nec vllum habere. Mittamus acumina, ventilemus seria (AA:) ego gratiæ vestræ aura subuectus Peccatum quadam analysi in suas causas retexam, ex quibus illud agmen aget, quod hucusque nobis tot Mæandris lusit; num Peccatum nihil, an non, sed aliquid sit: tum etiam quod genus? vnde domo, qui patres, quales posteri eius, quos cognatione, an vllos inimicitia attingat, atque id genus, vltimum vsque, quod erit stipendium, & prouentus eius.

Esse Peccatum nihil, vox vetus est, & pænè nata cum natura, propter quod videtur ad omnes,

omnes, tanquam patrimonium quoddam, pertinere. Ita apud ipsos audias, sic scilicet sonant Hagiographi in Biblijs, Patres in Concilijs, Pontifices prò tribunali, Theologi in scholis, Ecclesiastes in suggestis, Philosophi in academijs: nec enim aliter occurrere poterant rationum plaustris, quæ imminent à tergo, negantes iam iam oppressura. Ego vero in præsentiarum, quando non iam scholicum puluerem lego, his omnibus ita me expedio, vt asseram peccati permissũ à Deo esse, conceptum à diabolo, partum ab homine, obstetricem vsum, inimicam Gratiam, damna gloriam, stipendia mortem: quibus si vltimò addidero, quod primo foret decidendum, tanto apparatu prodibit ridiculus mus. Scilicet Peccatum ipsum his auis, atauisque præditum, hac serie circumfusum denique Nihil est. Aut enim in hoc de-

uio filum rectè à priori ad sequentia ducimus, & sic censendum fuit de peccato, aut oppositè ac paralelle, & idipsum fuit repetendum: nam etiam primi peccati series sic digesta est, seminante dæmone, concipiente fœmina, parente vtroque: Et Christus, qui antidotum, ac oppositum peccato est, aduerso modo cepit, de Spiritu sancto conceptus, Virgine matre natus, absque concupiscentiæ pruritu, sine dolore puerpero, nihil pænitendum trahens. Siue ergo ab initio per medium recte ferimut, siue e regione per opposita inuerse, sed denique huius messis sementis malo spiritui assignanda est, etsi desit omnis præter peccantem. Non enim necesse est nos in æternum ferri infinito processu fatigandos, vt quolibet inuento anteriorem auctorem quæramus: qui prior peccauit exemplo alios mouit, seipsum

ſum impulſu; ipſe ſe fætauit, ipſe cicutam hauſit, quo vterum geſtans immortalem mortem circumferret. Ita in primo peccante, certè autem in parente primo præiuit imago ſequentium criminum; & nos nequaquam imparati accedimus ad peccandum, ſed inſtructi ductu vnius, & exemplo, iam denique doctiſſimè erramus. Sic ſcilicet externa rerum ſpecies blanditur ſenſui colorum & ſaporum apparatu: hic eum concupiſcentiæ commendat, tanquam multa voluptate mulcendæ, ſi admittat, orbandæ ſi recuſet: Iſta autem, quam vicina eſt voluntati, protinus eam, ſiue pronam inclinat, ſiue auerſam trahit in eiuſdem prædæ conſortium, irritante interim inimico, & follibus ſuis fomitem conſtanter ventilante. Sic ſcilicet olim mulier ligno capta eſt, vir muliere, vterque ſerpente: ſic hæreditaria ruina

homines homicidæ fiunt. Cócu-
piſcentia cũ cóceperit, parit pec-
catum, peccatum conſummatũ
generat mortem : naturæ auc-
tores culpæ doctores fuerunt;
ne quis miretur, ſi incorrigibiles
ſimus, quum ſeniores non au-
ſint nepotes corripere, quos
ſciunt iuſtiſſima ſanna poſſe ſe
reuerberare. Neque vero æſti-
manda eſt ſola voluptas ſic nos
vexare, etiam Babylon, & hic
Mundus *calix aureus eſt, ine-
brians vniuerſam terram*, eum-
que idem pincerna tot fucis il-
litum, & lenocinio blandientem
propinat, vt rarus ſit quem
ad inſaniam nó impulerit men-
te captum, parum eſt in toxi-
cum ei transijſſe. Quid enim
videri poteſt fulgor oſtri in pa-
ludamento ardentis, ſceptrum,
& faſtigium ſolij vndè edicta
manant, niſi crate raureus, qui
etiam non ſitientes titillat ad
luxum, non item ad ſaturitaté?
Placet liquor vel ipſo loco, &
vaſe:

vaſe: hauritur valenter impotentia dominandi, ſed denique fæces in fundo, toxica in fæce natant. Superbia, vt & concupiſcentia deſinit in mortem iterum hæreditario exemplo parentum. Voluerunt illi repentè ſummum; fungi illi, vnius diei homines, vix dum nati, nihil minus maximo affectarũt; ſcilicet optarunt eſſe ſicut Dij: & factum; quid putatis? plane, quod Aſsyrio tyranno, qui cum tumeret regia dignitate, non modo ſuper cæteros, ſed & ſupra ſeipſum elatus, protinus infra plebem depreſſus eſt, iumentum indutus; plantis vngulæ, fronti cornua, palearia mento prominebant; pronus interim, & mutus famem gramine ſaturabat, ſetoſus, villoſus, nihil hominis, omnia iumentum, ſub Ioue frigido, ſolo exceptus, rore fuſus, vſque dum ei abſoluta hebdomas annorũ poſtliminium humanitatis reduxit.

duxit. Ita enim protoplastæ origine primi, fortuna principes, Imperio etiam Augusti, Naturã regno æquabant; sed adhuc inquieti, quasi anguste habitarent, tanquam nihil haberent dum aliquid defuisset, rapinam meditati sunt esse æquales Deo; sed insaniam capite luerunt. Impetitus Deus risit eorum vertiginem qui fælicitatem suam concoquere non possent, & lata sententia, hoc est, æquissimo iure, non dignitate solum, sed quadantenus humanitate exutos iumentis addidit, quo terram versarent. An nõ enim iumentum euasit, qui in terram pronus, & ad pastum abiectus totus est in corpore stercorando? An non ille hominem amisit, cui sensus imperat, ratio paret, concupiscentia arcem occupauit è qua tanquam prætorio, signum motui, & receptui datur; & quod in homine diuinum est, iam velut in pistinum

tinum molæ verſandæ damnatum, qua coquum, qua lenonem agit excogitandis ſtratagematis, implendis miniſterijs, quibus voluptatum libidines abſoluantur. Proh hominem, inhumanum, ac tantum animal! Hanc tyrannidem, hoc hyſteron proteron humanitatis inuexit tibi illud, quidquid illud eſt quod dicimus Peccatum: Illud, inquam, quo primipilam Dei legem tranſactus vittam, auream abſcidiſti, qua organa tua, & affectus mutuò fœderata in eandem harmoniam concurrebant: Ratio imperio, ſenſus miniſterio addictus, nihil obſtans, omnia expedita, tanquam in raſo tramite offendicula exulabant, vt non ſolum ratio, ſed & ipſum animal in homine foret rationale. Nunc vero, nunc, inquam, rupto fœdere quod ſolum hic pacem ſeruabat, quid expectari potuit, niſi Chaos illud anterius, & ſolutæ com-

pages Microcosmi, vt tanquam in turbato horologio rota rotæ occurreret, quodque alterum præcipitaret; summa imis, media vtrisque, intima circumfusis mutarentur; nec solum animal, sed & ratio ipsa in homine euaderet animalis. Hanc talionem contumaciæ suæ accepit homo; vt quoniam ipse superiori Deo noluit subdi cui debebat, etiam in ipso quod succumbere debuit, resiliret, scilicet sensus rationi, non rediturus vnquam in gratiam, & pacem vsque dum homo ipse, cum Deo rursus fœdera iceret, atque icta perpetuo seruaret.

Vide iam quisquis es, an quidquam homini deest ad iumentum; ego sanè video, & aio illum, quum non intelligeret suum honorem, comparatum iumentis omnibus, & assimilatum valenter ipsis. Nam quæ bestia est cuius ille conditionem non adoptauit, quam

feri-

feritatem in illo non potes odisse: crudus est, toruus etiam, & asper, modò tumidus, alias demissus, vecors, impos, tenax sui, rapax alieni, piger, præceps, sexcentis figuris de genio suo, tanquam Chamæleon de corio ludit. Pythagoras illud oraculum Græciæ primùm, tum etiam Latij, anceps de animæ desitu, num scilicet corpori superesset, an vero cum ipsius cōpage solueretur; iudicauit animas hominibus emissas brutorum corpora subire, earumque ingenio geri illa quæ nos in feris miramur. Sententia septies absurda, & quam dicas non de brutis traditam, sed ab ipsis; Propter quod posterioris æui authores, orthodoxi quam maxime, diris eam deuouerunt. At enim si permittatur Pythagoras ad numeros suos prouocare, atque aliquid vltra vulgus intelligere, rem absurdissimam facilè omnibus

probabit, vt fateantur saltem brutorum animas in humanis corporibus spirare. Nam qui seruet auaritia alieni raptor. nonnè vulturem viuit? Rabidus & maledictor, dentes innobui os figens an non canē agit? Fraudum architectus dolo alienæ inuadens, hic vulpeculam gerit: Iræ impotens omnia demolitur, Leonem verissimè vocabis: Timidus, & formidolosus leporem se fecit: Segnis, & stupidus, idem quod asinus est; sicut etiam eum qui fœdis libidinibus inhiat, verissimè voces Epicuri de grege porcū, quamdiu in cœno illo volutatur. *Ita* peccatorum illas metamorphoses nostri nobis reddit, quas ipsi in fabulis ridemus. At enim poeticæ illæ, risu excipiendæ sunt, quia dignæ; nostræ non item, sed pullo theatro, & conuersa scæna, quum etiam M. Crassus murænam aliquam in piscina sua defunctam atratus

lu-

luxerit, vt non oculis, aut ore; sed qua patuit totus lacinijs omnibus lugeret.

Sed enim illud segnes nos lecto sistit, lachrimas nobis, quod non videamus animorum funera quum in peccatis efferuntur: quanquam nec mirum, si mors aut morbus eius non pateat quod ipsum latet. Quotus quisque autem animam, nisi effectu vidit, quum sapientum industria eò apprime collimauerit vt persuadere certo posset quod est certissimum, scilicet animam vitijs, corpus morbo mori. Dionysius Siciliæ tyrannus reorum carceres Syracusijs è petra excidit, scilicet tanquã sepulchra; quod antè Messenij fecerunt, vt sciretur malefactor iam defunctus esse, nec superesse aliud ipsius quam corpus, quod tumulo illi inferretur. Draco Athenis peccata omnia morte mulctauit, quadam talione mortem morte-

plectens; atque eò etiam tendens, vt quoniam malefactor diem sceleribus definisset, proinde intelligeretur ille in singulis mortuus, ac proinde statim sepulchro inferendus, ne olidũ cadauer cæteros pædore corrumperet. Artesanes Aethiopum rex noxiorum hominum ora deformabat, trunco naso & mutilis labris vicem nequitiæ rependens; quæ ipsa prius formam hominis deformauit. O leges meliori authore dignas; vsu duras, sensu grauidas, quæ simul & prodebant scelerum grauitatem, & plectebant; opportunè admodũ, cum hęc exijs sint quæ in seipsis occulta, in effectis patent. Ventos nemo videt, omnes fatentur, ad confessionem flatibus compulsi; qua etiam methodo Deus ipse in cognitionem nostram venit, non substantia scilicet, sed operatione: Ita inquam, peccantis culpa latet, pœna sentitur,

vt

vt proinde egregio podiſmo ipſum ſupplicio ſuo metiaris.

At vero, quoniam harum, quas retuli, legum latores aliqui lineam exceſſiſſe carpuntur certè autem excedere potuerunt, (nam & Demades, illas Draconis non atramento, ſed ſanguine ſcriptas fuiſſe indicauit,) prouocandum eſt ad eum, qui quum in pœnis citra meritum reddat, tamen peccatis aliquot vicem acerbiſſimam rependit. Quum Pentapolis olim præpoſteram Venerem in contumeliam naturæ ſeminaret, ea ira efferbuit Deus, vt quaſi liquido cælo, & in ſulphurem cõminuto, pluuio igne eos circumuenerit inde inde ruenti, vt effugere eum non poſſent, niſi incurrerent, in ipſum quem vitarent, relapſi. Quam ſtragem Aegyptijs non intulit illa decuria plagarum, quibus eorum exterminio prælufit; orbitate patrum, mortibus filiorum, col-

colluuie ciniphum, molestia ranarum, vsque dum denique aquis interceptos, obruit incautos, & sepeliuit. In cataclysmo quum humani generis iam tum adolescentis insolentiam corriperet, funera capitibus censebantur: furor ille Dei tanquam torrens aut tempestas, obuia omnia eadem ruina inuoluens, cum homine appendicem cæterarum rerum tanquam supellectilem occisi deuorauit. Illud peculium eius populus Hebræorum Aegypto redux in deserto numerauit sexcenta tria millia virorum quingentos quadraginta, quorum duos duntaxat Palestinæ intuitit, cæteri murmur morte luerunt. Ad Troiam in Asia perfidiam principum, & libidinem vnius luerunt de plebe septuaginta sex supra ducenta millia virorum. Quanquam, quid aliquorum funera peccato adscribam, tanquam omnia ad-

scri-

ſcribenda non eſſent, aut quiſquam beneficium Dei in vſura vitæ acceptum, niſi irritato eo amitteret. Mors hominum nō eſt natura generis, ſed pæna: dele peccatum, & mortem occidiſti; quanquam nec occideres, quia non foret quæ periret. Et vero Deus, qui vitam tam libere non merentibus dedit, an non iuſte eam demerentibus negaret? Rei ſeriem iucundius in paradigmate audietis.

Aſſueri Perſarum regis amaſius erat Aman, cui regij ephebi æque ac apparitores trans uadenti poplitem arcuabant; at non item Mardochæus, qui in eodem veſtigio euntem cis, & vltra videbat, ſed non impunè. Ferbuit ſupercilium Amani qui obſtinatum illum ſupplicio deſtinauit, nec ſolum; nam quū ipſe in faſtigio aulæ, ſecundus à rege eſſet; alter aduena, obſcurus, exul etiam foret, impar iræ illius obiectum, *pro nihilo*

duxit

duxit in vnum Mardochadm mittere manum suam, magisque voluit omnem Iudaoaum, qui erant regno perdere nationem. Ita planè, pleneque ad apices vsque Deus, quum Adam Mundi huius regulum, ac tantum non Deum edidisset; sed ille indignus dignitate, dignus supplicio, nè auctori quidem suo cedere volens, vsque adeo iram Dei perduellis accendit, vt hic futile ratus reum ipsum, scilicet vnum homuncionem ferire, totum genus vno ictu inciderit, lata cædis sententia, quæ etiam nondum natos perstrinxit,

Et natos natorum, & qui nascentut ab illis.

Pro nihilo duxit in vnum Adamum mittere manus, magisq; voluit omnem hominum, qui erant in regno perdere nationem; vt omnes huic peccato pa-

parentarent, ne quis esset, cui læsa maiestas eius non doleret, atque eo denique, vt tam communis strages, nec vllis finibus definita, grauitatem sceleris testaretur, simul & mitigaret. O gula, quæ sub illice esca mortem manducasti! O homo homicida inter omnes Tui: quæ illa rabies nocendi, vt quoniam perire non potes nisi perdas, omnes tua ruina conuoluas; quin quia perdere non potes, nisi ipse pereas, ama alios in Te ipso, nec voles eos ruere, quorum stragem integrabis. Sed surdo canimus: olim ille eo fulmine ictus, principatu exutus est, subditi sacramento absoluti, quum feræ, eousque cicures, protinus recalcitrarunt: Ipse morti addictus, carnifici interim traditus est conscientiæ suæ, cuius lancinantes aculeos, noctes atque dies punctus & cruentus experitur, atque in tot incommodis nihil

gra-

grauius fert quam seipsum, vsque dum demum sarcinam pertæsus, circumfusum corpus tanquam fictilem vrnam illidit terræ, & fit cinis. Hæc hominis periodus, hanc stragem peccatum edit, tanquam exerto ense circuiens, quousque cæteros homines inferias primò transmittat. Neget hæc quisquis euasit: fateatur autem, qui se, & morbis percelli, & symptomatis quati, & senio occidere dolet, mortem ante ipsam expertus. Audite delicati, nec tamen corrigendi: peccato decumbimus, ipso dolemus: hic carnifex, noster est, hic hominis homicida. Primum illud, id est vnum, omnes prostrauit; quid expectandum vbi alia collegerit, & turmas aliquot sub signis suis conscripsit? si vnum præpotuit omnibus, quam valentia erunt omnia in vnum? Nos tanquam anates Ponticæ veneno viuimus, peccata

cata

cata quasi auram spiramus, & miramur dies nostros occidere, circumcidi vndiq; ætatem, vt nos nec trientem impleamus annorum quos patres nostri absoluerunt; nec intelligimus peccatis cuiusque aliquid mortis obuenire, vt dum indies augescunt scelera, mirandum potius sit, quod in cunis non caneamus, aut certè sine canitiè, annis & vita defungamur. Verset se cælum, ruant fulmina, spirent venti, spumet mare, mugiant tonitrua, ipsum quod pascit nos, depascatur perpetuo humidi suctu; at nos (ausim dicere) si non peccauerimus, duramus: non ruina fulminum, nec spiracula ventorum, non cæli ambitus, & frigida astra, non fluctus, & flabra elementi nos perimunt, sed peccata. Vis scire, quod vbique malorum non alienam naturam, sed culpam nostram patiamur? Damnauerat igni

Chal-

Chaldęus tyrannus tres Iudęorum ephebos, recusati sacrilegij reos, quod simulachro non prostarent; Et verò illi furno ter quaterque calenti inclusi sunt, pabulum ignis iam iam tanquam stipula vorandi; sed nihil factum; succubuit natura virtuti; furor ille ignis, septies seipso maior sine fomite deferbuit, innocentiam corripere non ausus. At vero paulò deinde idem rex Sedeciæ defectionem vltus admouit vrbi ignem, & incendit primò basilicam, tum pallatium, cætera deinde, priuatorum ædes sine obice, imò etiam cum fænore virium, dum ignis, tanquam animal, esu inualesceret, & prioris materiæ pastum verteret in sequẽtis condimentum. Hic enimuerò quis non videat alias rerum vices, si intelligit vicissitudinem? Qui vrbem incendere potuit non potuit, pueros; superfuerunt ei pauci, cui vrbs,

&

& ædes non obſtitiſſent. Sed enim hic probatum eſt, quod ego aſſero, materiem incendij malitiam eſſe, non naphtham, aut ſtupam. Vrbs Hieruſalem ſentina peccatorum ſcatebat: Priuatorum ædes tot criminum conſciæ, Regia publicum latrocinij theatrum, Fanum profanatum ſacrificia ſacrilegijs cõmutauit. Hæc, inquam, tam opportuna igni, quidni arderent? ſed in ſanctis ſuccubuit natura virtuti, furor ille ignis ſine fomite deferbuit, & vbi culpam non inuenit, pœnam intrudere non præſumpſit. I nunc inique, & conquerere te tot flagellis teri, nec ſufficere tolerando virtutem, cum interim fundamentum ſidat, natura deſerat afflictum; I, inquam, aut redi potius ad cor, nõ enim natura hic, ſed culpa feritur. In febribus libido tua coquitur; in hydrope auaritia ſtagnat; cruditatem ſtomachi ipſe tibi accerſis,

cersis, ingluuies est, quæ motbus dicitur: Tolle excursus, & non dolebis. In cuius fidem quid aptius producere possum, quam quod olim vultures alter alteri accinerunt. Scilicet ex illis duo præda diuites consederunt, sed eorum vnus vehementer intro agitatus vomere cepit tam vndanter, vt quereretur etiam se intestina eiecta re. Alter autem nihil eo ructu motus, nolens etiam socium moueri: pax sit rebus, ait, non est quod ægro sis animo frater, non enim tui aliquid vomis, sed illius cadaueris quod nuper cõscidimus. Ita, inquam, in morbis, atque alijs malis crapulam nostram eructamus, patimur, quod fecimus, defectibus nostris laboramus: alioquin si pena naturam perstringit, ac non magis quod cõtra ipsã peccatur quid est quod in Inferis illa tam lento igne, tam acri non absumitur? Furit ignis circum,

mate-

materia dēſiſſimus, mora etiam æternus, & tamen ipſe corporū naturam ſartā, tectamq; tuetur, Salamandrę ibi omnes nec pilū quidem criſpantur; non vtique aliūde, niſi quia ille ardor vtut edax, atque ipſo obice accenſus, tamen in reis illis non materiam, ſed malitiam perſequitur. Impotens ille ignis ſcrutatur viſcera, culpam in fibris rimatur naturam? prætervectus, tanquam qui immerenti parceret, aut extraneum prætergrederetur. Dolet ille naturæ, at non nocet, atque ideo dolet, quia placuit peccaſſe. Olim libati calices, nunc fœces eorū ſorbentur; & redeunt per iugulum ingluuies, quę olim illud dulciſsime titillabant.

Hæc ego, ipſa alius, aliuſq; lōgo acromate declamo, multa vehemētia inculco, minis acuo, periculis intento!, & tamen qui intelligunt dicentem, non cauere ea volunt, ſed experiri: A-

ma-

mamus id, quo perdimur, & visco hoc tanquam volucres intercepti, volumus perire, quia solemus. Ad libram voluptatis omnia expendimus, præsentibus inhiantes, futura in longum proijcimus, & vix credimus, nisi quæ optamus, stulti interim, & læui, quia neque ratione ducimur, & abducimur voluptate. Ea tormentorum fœnera manent incautos, quæ hauriri semper poterunt, nunquam exhauriri. Et quomodo in Phaselidis Chimera ignis aqua alitur, ita illa messis dolorum in voluptate seminatur. Hæc scilicet peccati stipendia, hæc merx est, quam quidem ego mortem dicerem nisi viderem esse immortalem. Nictus oculi quo sollicitanti annuis, insectile momentum quo peccatum hospitasti æternitatem tormenti æquabit. Et adhuc audemus dicere, possumus dicenti credere, Peccatum, & Nihil idem

esse;

esse; magni ignis materiam non magnam esse, ne parum quidem. Quod non est, fomitem esse æterni incendij, infinitum ardorem tota æternitate nihilo vrendo occupatum. Credant hoc qui optant; negent peccati consistentiam, qui nolunt, ne quid eis supersit pænitendum; vt ipsi nihil mali admiserint, & si quando illius ergò mulctantur, iudex ipse iudicandus sit, qui nullius reos damnauit.

Hæc fateor mihi moram facerent, nè culpam è rèrum indice expungerem, nisi viderem in eadem fornace qua hæc cusa sunt, alia argumenta vendi quibus etiam efficitur flagellum, quo illa excipitur, ente & natura destitutum Nempè damni pœna, qua quam maximè peccator verberatur quid est? an nihilo maius? non sane sed ipsum: Ita similes habent labra lactucas: Ita hoc paradoxum

pro sextante sui inuidia liberarimus, quod etiam præstare possem sine pœnæ adminiculo ipso censu culparum. Nempè, cum delinquimus aliquando, hoc est, omittimus quod committendum fuit, ni fallor, nihil agimus, & tamen peccamus. Eccè semissis peccatorum in nihilum redactus. At (inques) alia superest, atque alia pœna, quæ non modò damnum faciat, sed sensum dolore percellat. Audio; at, quid si ipse adstruxero naturam nihilo lædi, nec opus esse vt sit quod nocet, modò appareat? Fraxini vmbram serpens ferre non potest; Similacis autem vmbra etiam homines occidit. Vide, si nihil non nihil nocet; nam quod homsio serpenti, serpens homini fecisset, hoc vtique vmbra, id est, Nihil, facit.


Sed, vt hæc acumina, tanquam ingeniorũ ferias ad scholicum puluerem relegemus, siue

pec-

peccatum aliquid ſit, vt multi errant; ſiue nihil, vt ſani arbitrantur, extra aleam opinionum eſt, ipſum, tanquam naturæ abortum, toto terrarum, & aquarum orbe eſſe proſcribendum, vt vndique circumductum, ſi fieri poſſit, non inueniat exilio locum: atque hic interim ideò in ſcholis auditur vt euitetur; admittitur ne admittatur; vt, quum quiſque ipſum notat ortu infame, natura nihilum, lege vetitum, ac proſcriptum; rationis iudicio damnatum, virtutis honeſtati aduerſum, Deo inuiſum, ac refractarium, qui quum natura ſuapte Charitas ſit, tamen hoc in odijs habet, nemo hominum tam inhumanus, tam chalybs, aut ſilex ſit, qui non ſinat ſe honeſtiſſimo odio illius rapi: qui non ſuccenſeat ei merita ira, & toto domicilio pectoris tam perniciosum hoſpitem profliget ſi minus ipſius ergò, ſaltem ap-

pendicis. Antecedentem scelestum sua Nemesis collato pede premit, fœta, & fœcunda dolorum. Gemini sunt pœna, & peccatum, lances, quæ se librant. Duxisti peccatum, dotem pœnarum expecta; aut certe expedito repudio pellicem hanc proscribe, magnetem miseriæ, fomitem ęterni ignis; nec enim in Inferis aliud ardet, vt iam

DIXI.



PRO-

PROLVSIO

Septima.

De Incarnatione.

HVcusque (AA) Rhetorum ambitus, & circumuentio dicam, an nundinatio attentionis tolerari potuit. Hactenus aliquid arti indulgendum fuit, vt eloquentia contra naturam moliri aliquid posset, & admotis machinis extorquere. Vbi verò, siue auditorum religione, siue obiecti ipsius charitate causa iam præiudicata est, dissimulanda erit importuna emphasis, & quasi cuniculi orationis, quos qui aucupatur, næ ille prodit infirmitatem causæ suæ, cui,

tanquam laboranti Lunæ huiuſcemodi ſiſtris, ac crepitaculis poſſit ſubueniri. Peripateſmatum tectoria ſcabricies muri accerſit, *factitij* crines in verorum locum adoptantur; nam vbi nata cæſaries aream ſuam aurato vellere impleuit, riſu dignus eſt eorum inſtitor qui nè inuenti quidem admitterentur. Ità, inquam, vbi argumentum orationis, aut vetuſtate tritum eſt, aut vilitate indignum, tum enimuerò artis ſubſidium implorandum eſt, & naturæ addendum, vt rem cæteroqui ingratam, commendet. Quum verò argumentum ipſum dignitate regium, nouitate etiam recens eſt, ludit operam, qui commendando ei quidquam in anteceſſum præfatur.

At, (inquiet aliquis,) vt quid Tu prius tranſgrederis præcepta tua quam tradis? quorſum tam lento prologo doces non eſſe proloquendum, ac non

po-

Potius è vestigio iugulum cau-
sæ eo magis petis, quod illa
longius dici potest, quam aut
mihi perorare, aut vobis lubeat
audire. Faciam quod vultis, &
accingar, vt ostendam Incar-
nationis sacramentum quod
hodierna forte prodiuit, non
modo dignitate regium esse,
quod omnibus agnitum est,
sed & nouitate ità recens, vt
per ipsam omnia sint innouata.
Enitar ostendere per Verbum
hoc omnia bis facta, scilicet re-
fecta, & instaurata esse, vt aut
annumerandus sit nouus Mun-
dus priori, aut certè eiusdem
architecturæ. Deinde verò pa-
ce vestra, ac patientia [illegible]
ea, quæ cogitanti mihi subie-
runt momenta rationum qui-
bus induci potuit, id est, vo-
luit Deus, vt in hac iterata
rerum fabrica, imò in remediū
vnius ingentibus ausis ità æra-
rium suum absumeret, nè quid
deindè superesset ipsi, quod ero-

 garet.

garet. Sed hoc vltimum orationis meæ auxesis, illud auspicium est, quod hic interim statuo demonstrandum vobis, & instrumentorum fide, siue testamenti tabulis, & temporum delectu, & elementorum symmetria, & materiæ paritate, scilicet eum qui hac die seipsum secundo pari voluit, secum omnia reficere, Mundum in Mundo moliri. Propter quod, fateor, deferbuit admiratio mea qua olim hiabam, illud audiens, quod is quem loquimur, Christus *in propria venit, & sui eum non receperunt*: Quod coloni immanitate barbari, insolen-[illegible]n temerarij, Cyclopico ausu principem à possessione repulerunt, At enim fodienti corticem ratio cominus occurrit, quia nimirum, quum hic iam tum foret *pater futuri seculi*, nequaquam ad præsens pertinebat. Non receperunt eum ergò quia nec nouerunt;

quia

quia ille in peregrino ſchemate nouam ſeriẽ rerum molitus *videbatur longius ire*; &, veluti Alexander quiſpiam nequaquã Philippi territorijs deffiniri, ſed ea ipſe alijs finibus, nouo Imperij adiectu extendere porrò, ac laxare. Nempè hic corporum Mundus, quo auctore, tempore, modo cœpit? *In principio creauit Deus, cælum, & terram*: ita priſci fœderis inſtrumentum, cui pro nunc ſubijcere placet reſcriptum noui, ſi forte ducat lineam paralellam priori. Audite autem: *In principio erat Verbum*: quid enim vobis videtur? quid auditur? an non eiuſdem vocis reſultus, quaſi Echo aliqua, quæ idem à calce auſpicatur. Iam verò huius ſubcæleſtis machinę formas vnde ille auctor eduxit, qua ſuppellectile inſtructus? Dicam ego, duobus, ſpiritu, & aqua.

Nam sacer extensis impendens spiritus vndis
Altrices animabat aquas, dans semina rerum.

Hoc est enim, quod legis, Spiritum Domini superuectum aquis, tanquam volucrem fœtam ambitiosè ouis incubantem, vt obstetricante halitu tam ductilis materia in omne plasma redundaret. Ita olim Deus, ità iterum hodie Christus in hoc deuteronomio elementa Mundi sui voluit esse Spiritum, & aquam. Nam quum nasci sit primum, apud ipsum omnia his parentibus oriuntur; non enim quis introibit in regnum huiusce Dei; hoc est (vt ego intelligo) in Ecclesiam Christianam, nisi renatus ex aqua, & Spiritu. Baptismus abyssus, & vterus est, quem ille incubans fœtat, vt inde, quasi fonte prodeant, primum paruuli, tanquam reptile ani-

mæ viuentis, tum etiam adulti, ætate grandia, ac deniqùe omnis anima viuens, atque motabilis, & omne volatile iuxta genus suum, vt iam hoc regnū cælorum sagenæ simile sit, omne genus piscium concludenti. Nempè, nè dubitetur, hoc regnum esse, rem publicam æquè, ac priuatam, possum omnia proferre, quæsiue ad vnius vitam, siue ad multorum communionem, vel requiri possunt, vel adhiberi. Aut enim nasci quis debet, & eccè *Baptismi* vterum: aut solidari natus, & ecce *Confirmationem*. Correptus morbo, adspersus macula est, tempestate in scopulos impegit? & hic *Pænitentiam* habet, quæ in naufragio tabula, in morbis pharmacum est, in sordibus lauacrum. Iam si plurium copulam voles, habes *Coniugium*: Si imparium ministeria, *Ordinem*: Si moriendi commeatum, *Vnctionem*. Vbi

vides omnia coiuisse, quæ aut necessitati litant, aut delicijs indulgent, aut dignitati denique fænerantur: *Eucharistia* epulo nos excipit, Confirmatio ad pugillatum vngit, Baptismus vita fungi dat, Vnctio defungi. Ordo cælibatum ingerit, Coniugium fœcunditatem. Baptismus sub signis Christi decuriatos colligit, Cõfirmatio quasi baltheo obducit, Eucharistia annonam dispertit, Pœnitentia illata vulnera curat, Vnctio auertit inferenda, vt nihil reipublicæ, aut regni, nè desiderijs quidem desit, quod in his tesseris cumulatissimè nõ numeretur; & qui eas hoc ordine, numero, emphasi instruxit, videatur non aliquid Vniuerso minus cogitasse: quin

cuncta superno
Ducere ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens,

Quem

Quem vt libentiùs credamus hunc Orbis figulum expressisse, etiam punctum temporis attendamus, in quo prior ille opus suum, id est, Mundum hunc, explicauit. Enimuero ver illud erat, & verni æquinoctij punctum: quum

Aries Phæbum repetentem
sydera Cancri,
Inter principium reditus, finemque coërcet,
Conuertitque vices, victumque ad sydera bruma
Exuperare diem iubet, & succumbere nocti.

Ipsum ', quo secundæ huius molis fundamenta iacta sunt; nam & hic, quem loquimur, melior, etsi, minor Mundus cũ priori conceptus est ad easdem Calendas, sub eodem Aprili, quum scilicet verna omnia..., & succosa, præsenti virore læta, vterum etiam gestarent; vt scilicet Christus opportunè tunc

cet

aliam rerum seriem ordiretur, quando omnia cum cælo, & sole incipiunt. Nisi malis huius Mundi natales altius repetitos ad Solstitium reuocare, scilicet ad crepusculum ipsum lucis, dum in Capriconi stabulo repagula nocti posita sunt, vt Verbum hoc non inuenerit ver, sed attulerit, atque ipsi non modo iuuentus rerum, & adolescentia Ecclesiæ, sed infantia quoq; & auspicia ipsa debeantur. Sanè ego vltimum hoc cum Lyrano solidè censeri censeo, sed satius primum cum Beda; optimè autem responsum iri existimo, si hos anni cardines nequaquam hic duo temporis puncta dicam, sed vnius partes; vt Incarnatio vtrumque occupauerit, Ver cæpta, Brumam absoluta; vt in æquinoctio Verbum caro factum sit, sed in Solstitio habitauerit in nobis. Tot amussibus sibi respondent vtriusque Mundi nixus, illum Pater, hunc Filius

ſius edidit, qui & ipſe [pater futuri ſeculi] ne cui ſit ſecundus; vterque æquinoctio, vterque ex nihilo ortus. Tunc nimirum *Fiat* Virginis auditum nouũ Mundũ incepit, quũ anterius illud *Fiat* Dei omnia, quę videmus edidit, atq; ipſum quo videmus lumen. Vterque vere, vterque verbo editus ſed alter auguſtior, quum in eo inter cætera Verbum ipſum ederetur, & è nihilo quidem, planè quomodo Deus priorem illum eduxit. Nimirum hic etiam reſpexit humilitatem, hoc eſt, inane ancillæ ſuæ, atque ex ea quaſi nihilo quodam Vniuerſum hoc eduxit. Scilicet editurus Deus ſtratagemma, & ſpecimen ſuæ virtutis, materiam omnipotentia ſua dignam *Nihil* elegit; quanquam hic *Nihil* illud, magnum aliquid fuit, & ideò charum, quia rarum. Quotus eſt enim qui ſeipſo non tumeat, nec inſletur, ſeu forma ſua, ſeu

for-

fortuna? Quotus, qui sibi prudens, & præsens non blandiatur, vt quamuis Natura toto impetu vacuo oblectetur, sed denique nunc seculi Ethica, illud rarius quam Physica euadat. Et vero tali ortu dignus erat qui interim dissimulari voluit deitatem suam, vt ex matre, vndique humili generandus esset vtique generosius, nè correcturus ipse elatæ matris altitudinem, quodam virtutis abortu à parente sua degeneraret. Venit ergò Deus ad humilitatis encomium opere declamandũ, vt exempli stylo aptius quam calamo linguæ insculperet eam, homini, hoc est, silici superbè obstinato. Quem enim pudeat Deo quamuis abiecto assidere? quotus ita insanit, vt pharmacum non sorbeat, quod ad illecebram haustus medicus ipse propinauit?

Sed nos, nescio quo æstu abrepti, declinauimus à via, à na-

natura Mundi ad mores iusto diuerticulo, sed intempesto, ac proinde actutum declinando. Placet ergò prius thema prosequi, & absoluere Mundum, quem cœpimus, instituta eius collatione ad anteriorem, quem dico nupero huic, & nouo è diametro esse diuersum. Aristoteles ille Peripati rex, secundum Mundum eo argumento explosit, quod illius Elementa ad istum moueri necessè; nec possibile foret: nam quum illa homogenia forent nostris, vtique eodem impetu ad similia loca properarent. Et quum secundus Mundus superponi posit priori; fieret, vt grauia huius ascenderent, leuia illius mergerentur, quum scilicet ad centra hinc inde ferrentur. Mitto quantum Philosophus hac ratione confecit, saltem in assertione sapuit, æquissimè iudicãs noui Mundi elementa in aduersum prioris itura. Quidni

enim

enim illa aduersos motus, quæ diuersa centra haberent? Ita dico in hoc Mundo, quem Deus iam conceptus molitur, omnia in aduersum prioris ire, dissimiles motus alias periodos habere, quia nimirum alia centra habent. Prioris Mundi Terra, noui centrum Cælum est; propter quod non mirandum, sed necesse fuit vtriusque partes alias lationes habere. Ibi omnia ad terram prona: diuitias, & voluptates venantur: hic è contra cælo omnia scilicet suo centro accedunt; vale voluptatibus dicto, opibus calce exclusis, vt noui Orbis ciues non modò industria eas non dignentur, sed nec appetitu. Ibi coniugium in pretio est, hic integritas: illic opulenti, hic pauperes euangelizantur; vt abunde fidem suam redemerit, qui cælos nouos, terram nouam spopondit; & noui Mundi ciues, hoc est, Euangelij professo-

feſſores hic interim illas fortunatorum corporũ dotes, ſubtilitatẽ, agilitatem, claritatẽ, apathiam quaſi phaleras ſibi appendant, ante beatitudinem beati.

Sed hæc alibi: ſequamur nunc, quam cœpimus, antitheſin prioris Mundi ad præſentem, in quo veluti in alia Babylone idiomata confuſa, & ipſi artium termini, quaſi coſtæ compagibus auulſæ non cohærent. Hic etenim in Grammaticæ præiudicium naſcentis nomen eſt Verbum; ad Logicæ iniuriam, Verbum ſine tempore eſt, quando æternum. Hic Mathematica palinodia altitudo ſubdita eſt, longitudo breuis, latitudo anguſta, profunditas plana. Fruſtra Phyſicus clamet generationem vnius corruptionem alterius eſſe: hic vnus ex incorrupta gignitur, quam vt ſine ſemine fætauit, ita ſine aditu aperuit, cryſtallina clauſtra irradians, non irrum-

rumpens, itque, reditque viam lacteam non compressa niue pudoris. Pergamus; vt hic audient Oratores eloquentiam elinguem, facundiam infantē? vt Ethici obstupescent sapere incipientem, nouitium emeritum, conscium literarum, quas non didicit? Ita hic hysteron proteron omnia transposita sunt, & tanti partus miraculo solidæ scientiæ tanquam stellæ in Cometas conuersæ nihil norunt præter admirationem. Magneticum lapidem, quo nostri nauigia regunt, aiunt in noui Orbis oceano errabundū fluctuare, quià nimirum nautæ æquinoctialem prætergressi polum mutauerunt. Et quis obstupescat sciētiam fluctuare, experientiā falli, quādo axe Orbis inuerso Deus homines, id est sūmus dignatur: vertex sublimis sub pedibus est, Deus non modo hominem, sed antipodam agit, & polo inuerso Mundus se

su-

ſupinauit? Olim factus eſt homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, quod erat dicere ad Verbum, & ideam eius qui eſt imago Dei inuiſibilis: nunc Verbum caro factum eſt ad imaginem, & ſimilitudinem hominis. In illa geneſi omnium vltimò editus eſt homo: in hac primus prodit; ita hic interim diſsimilia ſe ſimilant, abſentia coeunt, diſparata fœderantur. Hic ſcilicet, tanquã in centro operum Dei, tota peripheria collectis radijs concurrit, quidquid olim prioris teſtamenti hæredes aut ditauit priuilegijs, aut oblectauit myſterijs, aut miraculorum admiratione ſuſpendit. Hic poſuit Deus in Seth aliud ſemen mulieri pro eo quem primipilus homicida occidit. Hic Hebręus Booz Moabitidem ſibi deſpondit, quum prius is adquem legitimè pertinèbat, cederet ſuo iuri in ipſam. Hic perituro homini

mini substitutus est aries mactandus, & cessit in holocaustum, quo immolato sortitæ sunt gẽtes benedictionem. Hic denique Hector Hebræorum Dauid Arcam fœderis inter medias pelles pudibundus ipse aspexit: & Moysis manus sinu exerta protinus lepra correpta est. Enimuerò hic ex muliere prodit alter Adam innocens, integerque, illius instar quem diabolus toxico suo mortificauit. Enimuerò natura hominis diuinæ hypostasi nectenda, inprimis suæ cedere debuit, & calceamentum excutere, scilicet suppositum, tanquam basin cui vltimò nitebatur. Fusus sim si singula prosequar; nam quis non intelligit incarnato Verbo dexteram manum Dei è sinu eius exijsse, exeuntem laborasse, & defunctam labore in paternum sinum eadem fœlicitate, maiori gloria redijsse? Tot portentis prælusit

vni

vni Deus, & quasi velitatione quadam idem sibimet præmisit, vt assuescerent inde inde partes; ipse concedendo Verbo, homines admittendo. Hoc enim vbique mysteriorum expressum est, desponsatum corruptæ in Booz, in Seth secundogenitum; in ariete mactatum, in Arca mortuorum exuuijs obductum. Adeò vtraque se reciproca necessitate inferebant; quia nec tot figuras falsò præcedere oportuit, nec Dominum succedere nisi similia præcessissent. Inferebant se mutuo, illæ hunc tanquam imagines prototypum hic illa tanquam corpus vmbrã. Par etenim fuit vt Prophetarum oracula in ipso fidem suam redimerent sistendo, quod spopõderunt. Ius, & æquum erat, vt typi, & symbola cæterorum, quæ in operibus eum præferebant, tanquam thecæ quædam hoc thesauro implerentur. Ratio ipsa dictauit, vt, hunc prin-

ci-

cipem tàm diuinæ maiestatis extra peregrinantem omnis ille apparatus præcederet, qui magnificaret: prophetarũ agmen, patriarcharum turmæ, vexilla Sacramentorum; apparitores, satellites, reges ipsi in pompa præcessorum viderentur. Sic ista alternis se statuunt, vaticinia sequentium, & sequela prædictorum; quum & ipse omnia quæque egerit & sit passus, vt impleretur quod dictum est per prophetas; quanquam nec existimo ideo gesta hæc quia prædicta, quin magis proinde prædicta fuisse quia fuerunt gerenda.

Aliud ergo eruendum est huius negotij caput, quod qui iniquitatem nostram primo esse volunt, nescio, an pro dignitate tam diuinum opus auspicentur. Scilicet hoc quale, quantum est, contulit Deus iniquis; & quid iustis præstitisset quum eo erogato nihil sibi in peculio rè-

reliquisset. Et tamen Theologi mihi obiecti aiunt, immane hoc diluuium donorum homini, iam tum perduelli datum esse, non solùm post iniquitatem, sed propter ipsam. Ego sanè nunquam adducar vt credam Dei beneficia peccatis nostris, sed flagella respondere: supplicia peccati lego, præmia non lego, vt hoc humanatum Verbum quod in principio rerum erat, non senio solum sed dignitate, nunquam nos primo peccatis acceptum referre possimus. Nec euadet qui inquiet illud respondere non vt stipendium, sed vt medelam: Non fuit tanti quod valeremus satiùs occumbere potuimus, nedum ægrotare omnes, quam vt hic natura filius, vita immortalis, vetustate æternus ita in remedium transiret, vt ipse eiusdem pestis contagione interim premeretur. Quo loco locum habet ille Octauij Au-

gusti sarcasmus, qui minima commoda non minimo discrimine sectantes, similes dicebat piscantibus aureo hamo, cuius abrupti damnum nulla captura compensari posset. An enim Tu quisquis sic sapis, Deum hoc sibilo irridendum putes à Cæsare, ac non potius cum Caio Mario extollendum: Hic enim, quum varicibus laborans deformitatem ægrè ferret, crus chirurgo præbuit etiam non ligatus, atque interim nihil motus, nullo gemitu secturæ tormentum tulit. Ad alterum verò crus transeunti medico respondit, remedium nó esse dignum eo dolore. Quotus enim, nisi nescius maiestatis, atque etiam sui, expectet sua incommoda principis dolore redimenda? An quisquam tam proiectè audax, vt sibi regem suum impendat, scilicet, quem interim coleret, vt pro re nata in vsum suum verteret, tanquam idolū, quod

quod vrgente inopia in nummos cuderet, aut etiam in scamnum, & scabellum suppeditaret. Et, vt cætera desint, quis concedet quod est optimū in rebus, fuisse fortuitum, vt, quum res aliquæ sui ergo nascantur, aliæ alieno, hoc ex ijs, sit quæ prioribus quasi ex incidēti accedunt, alterius duntaxat appendix. Sanè bono stomacho sunt illi, qui hanc cōmissuram possunt concoquere; vt, quisquis ille fuit, (fuit autem Deus) qui rebus omnibus locum & seriem dedit, personā diuinam sorti commiserit, humanam prò consilio, & quodam senatu, definiret. Quanto meliùs isti metatores rationes suas subducerent, si in indice rerum hoc quod est optimum, primū numerarent, & vbique rerum inciperet quod diuinum est; quod solidissimum est fundamētum cæterorum, adeoque primum ponerent, vt illud nulli,

cætera ipsi innitantur; neque quidquam diuinum sorti adscriberent, hoc est ipsi temeritati; quin magis, magisque hoc summum in donis, cætera, tanquam stipulas sibi necteret, quam sequeretur ipsum præmissa: vt Verbum quaquauersum spectemus, dicamus in principio fuisse, æternitatis æquè ac temporis; ibi vnigenitum, hic primogenitum confessi. Nemo sibi placeat, nec osculetur se osculo oris sui; non mouit pedem hæres nisi paterno consulto, hoc est, charitate. Deus ipse hic originem, iter, metam, sibi paria, id est, diuina voluit, ac proindè summa. Equidem existimo hunc hæredem vniuersorum nulli secundum fuisse, sed in palimpsestis Dei primas lineas duxisse; quis enim in capite libri scriberetur nisi qui est caput? Hic ergò in illo diluculo æternitatis, quum Deus non contentus conscientia virtu-

tutum, famam etiam accersere voluisset, tum inquam, in illo libro prædestinationis typis cælestibus cuso, ibi ille primam paginam occupauit, nouas Dei cogitationes excepit, non solū inter alia, sed præ illis optatus. [Dominus possedit eum initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.] [Nondū erant abyssi] peccatorum, [& iam ille cōceptus erat] vtero diuinæ prædestinationis: [nec dum fontes aquarum] gratiæ eruperant, non aliqui eminenter iusti, quanto minus vulgus bonorum apparuit; quod erat dicere, [necdum montes constiterant, ante omnes colles parturiebar.] Quin addo: [quādo præparabat cælos, aderat, cùm eo cuncta componens;] nō tantum vt artifex, etiam vt scopus. Et quorsum omnia? dicam, quod sentio: Deus, cui bonitas ità natura est, vt sit etiam

arbitrium, genus nostrum iam ab ouo non prius vitę, quam amoribus suis destinauit; non plumeus ille, aut sufflabilis, sed adamantinus, & tam valide volens vt quasi anteuertens lubricum arbitrij, pedicas, & cōpedes sibi obduxerit nè facile posset etiam pœnitens resijre. Ita in serie hominum Christum hunc inseri voluit, tanquam annulo gemmam, à qua ille vtcunque inciperet; quanquam nec vtcunque, quia non modò exordium ei deberet, sed pretium. Cogitandum est enim hic quod egit Ramisses rex in obelisco Thebano, quem quum subnectururus esset statuendum in alto, timeretque ne machina ponderi non sufficeret; quo maius periculum curæ artificum denunciaret, filium suum alligauit cacumini, vt apud molientes salus eius prodesset lapidi, qui non potuit nisi cum prin-

principe teri. Ita, inquam, Deus, vt sibi ipse genus hominum commendaret, filium suum alligauit cacumini eius. In principio eius Verbum legi voluit, tanquam omnium principem, non dignitate solum, sed ordine; & vel ideo ordine, quia dignitate. Hic enim est Alpha, & apex humanitatis, desituræ denique in ipsum, tanquam in vltimum, & maximũ Omega. Hic lapis ille qui factus est in caput, digna acie cuspidatus. Et verò salus eius profuit obelisco, atque ille furor Dei quem peccantes accendunt, obiecto ipso deferuet, & parcit propagini, quæ non potest sine illo perire. Nam quid cogitamus, quum Deum mente voluimus? tyrannum aliquem, qui etiam insontes eadem ruina conuoluat? non credo vos credere. Barbarum aliquem, qui ne officijs quidem

mitescat? absit opinari. Desinit Deus esse qui in has Syrtes impingit; quod quia ne ægre quidem esse potest, possumus nos interim de Deo optima quæque arbitrari, vt quoniam Cambyses deinde Thebis imminens, & iam victor, vrbem flammis deuouit, sed ad obelisci crepidinem ignem extingui iussit: proinde expectare nos etiam possimus, quum nostra Nemesis, quum diuina ira ignẽ nobis, & meritam gehennam minatur; sed reuerentia culminis illam extingui iubeat, id est, pœnam omnem dimitti. Propter quæ (AA) ter, quaterque par & æquum est illi nos totos impendi, qui nihil sibi reliquit, ne sui quidem, quod nobis non erogaret. Nostra omnia illius sunt, & sint vtinam: ratio in admiratione eius, admiratio in stratagemmatis, vires nostræ in obsequijs eius occu-

pen-


pentur. Eat intellectus, & ambitioso gyro quaquauersus eum contempletur. Ruat affectus, & amantibus vlnis eum complectatur; Concupiscentia, eum quærat, diligentia inueniat, mores exprimant eum virtutum phrygionia, qui nostri ergo in diuina persona, tot personas agit, modo gigas, alias sponsus; ibi fortis, hic formosus. Exultauit vt gigas, processit vt sponsus; gigas vt vincat, sponsus vt ametur; pulcher vt placeat, fortis vt timeatur; omnia omnibus factus, etiam paruulus filius. Idem enim *paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius principatus super humerum eius.* Qua antithesi se fidei nostræ commendauit, bellissimè in se exprimens vtriusque naturæ participium; in filio hæreditatem deitatis innuens, in paruulo adoptio-

nem humanitatis ; in humero hominem ; in principatu Deum. Bis genitus, quum secundo notatur datus, arguit æternam generationem sæculari esse insertam ; sibi natus, nobis datus : Datus parienti, natus ex Patre : Natus qui nesciret exordium, datus qui subiret occasum. Et ille tamen, quum à nobis solum inane toties repetitum acceperit, dissimulat quod diuinum est, iactat quod nostrum : quia vidisse gloriam eius perhibentur qui humanitatis testes fuerunt. Sed hæc Ecclesiastis mittamus; nos in eo notemus, quod nostrum est quoniam qui quondam pater futuri sæculi, nunc est præsentis. Architectus Mundi, est pars eius, quem ille, si meministis, digno apparatu, nouis elementis instruxit : aqua virgine, & tamen matre ;

spiri-

ſpiritu fætante, tanquam patre: arcano fundamento, exotico centro, tota hebdomade ſacramentorum, quibus ideo nihil deeſt, quia ipſe adeſt, imò intereſt medius.

EGO VOS NON MOROR.



PROLVSIO

Octaua.

De Fide.

HOminis inter cætera conditionem acu tetigisse videtur, vtpotè in puncto, ille qui eum Vniuersi huius centrum appellauit. Nempe à centro æquum est interuallum ad quæcumque alia in sphæræ peripheria circumponuntur; & homo medius est corporum ac spirituum; tantũ illis eminet, quantum istis succumbit. Altius tamen incessisse videtur Synesius philosophus qui hominem Vniuersi huius non centrum sed horizontẽ appellauit. Nimirum diuidit homo interiectu sui hoc Vniuersi

hemisphærium, supra quod est illud beatorum manium illustre gloria domicilium; infra, illætabile regnum Inferorum. Sed, vt quisque horum aliquid attigerit, Plinius totum est complexus, volens hominem nihil Mundo minus esse, etsi Mundo minorem; microcosmum, aliquem, & Vniuersi huius non tam partem quam compendiũ. Nec quidquam, quando in homine veluti in Archimedis globo stupenda analogia] parua vastis respondent, quæque similibus, mixtis composita, simplicia elementis? Ossa aridam referunt, aquam pituita, cholera aërem, cruor ignem; plantas plantis exhibet, animalia, organis, Angelos intellectu; &, vt idem in pauciora partiamur, corpore terram refert, anima cælum in quo tanquãm [in Firmamento posuit Deus duo luminaria magna; luminare maius vt præesset diei, & luminare

re minus vt præesset nocti.] Enimuero Deus huic; Firmaméto tũc duo luminaria fecit, quãdo homini fidem & gloriam præparauit. Par luminum, sed impar, vnum parcius, alterum plenius: primum diei, proximum nocti; idest, alterum viæ, alterum patriæ. Vnum huius vitæ viæ, in qua cælestiũ secretorum posuit tenebras, & facta est nox: alterum alterius metæ, in qua æterna meridie aspirat Sol, & inclinantur vmbræ. Itaque diuisit Deus lucem à tenebris, quando fidem viæ dedit, gloriam patriæ, quæ vbi eidem contingunt, fiunt vesper & mane dies vnus. Dies inquam, sed cuius hic vigilia & vesper est, ibi mane, imo meridies, vbi in occidua lux æterno solstitio viget. Hoc ego diuiso eloquij penso quum proponere vobis statuissem, hodiernam occasionem Fidei destinaui quia primam, descen-

rus

rus in gloria, quæ quum rerum omnium sit optimum, etiam vltimum seu supremum est. Illa præcone non eget quia cuique commendata; hæc saltem explicari volet vt ametur, quod ego in præsentia præstiturus, cum natura etiam necessitatem eius aperiam, cum necessitate vtilitatem: quæ quoniam tanta est quanta potest esse maxima, frustra ego illecebra vlla vtar ad captandam auram tam officiosi confessus, qui quum ipse sit hac tessera signatus, in præconijs fidei libentissimè suas laudes est auditurus.

Quærenti autem quid sit Fides? facile referrem illud [spectandarũ substantia rerum, argumentum non apparentium:] nisi & hoc ipsum aliquid fidei foret, quam proinde viderer in vmbra relinquere, dicaculi alicuius argutijs impetendus quod totum sui parte, atque ita anguste definirem. Quia ergo nos

hic

hic scholæ præludimus, velites tantum non professores, dicam rudi Mineruа, hoc est symbolo, quale nobis, qui non sumus doctissimi, est familiare.

Dico auté fidem spicilla quædá esse aut machiná vitri quæ aspectum rerũ sic adiuuat vt impediat, sic impedit vt iuuet. Iuuat collectione radiorum qui cæteroqui sparsi segnem intuitũ peperissent. Sed & impedit idipsũ interiectu suo, quæ cum opaca sit, obstat subtilitati aspectus, qui vtique purior per auram, idest medium tenuius ederetur. Ita inquam Fides suppetiæ sunt qua caliginem admittimus simul & profligamus. Lux est, sed vmbræ immixta; vmbra sed luminis impactu dissoluenda. Diaphanum quod radijs iter præstet; opacum quod eosdem obtundat. Flamma, sed fumum agens; fumus sed flamma illustris; summa: est lux in tenebris lucens, quam proin-

de

de apposito symbolo expressit olim quisquis prisci fœderis tabernaculum Moysi est architectus. Audite & approbate. Nempe is quum compactibile illud templum in ædiculas aliquot diuisisset, postremam voluit esse Sancta Sanctorum. Istud autem à communi Sanctuario diuidi fecit pendulo velo, contra quod nihilominus candelabrum accendi voluit septemplici lychno illustre. Hic enimuero ego cum architecto ausim, (dum mihi modestia interim constaret,) ausim, inquam expostulare in hanc sententiam præfatus. Aut enim Tu, ò tentorij faber, sanctissima illa vis secreta, aut concedis cuique lustranda. Si concedis cuique, cur velo obducis? Si vis secreta, cur lucernam appendis? nam quod velatur, oculo subducitur: quod fulget nisi fallor aperitur. Velo prohibes nos à conscientia Arcæ; lu-

lucerna inuitas ad videndum. Non obducitur tectorium nisi arcendo oculo, nec accenditur fax nisi admonendo. Aut ergo pugnantia iubes, & alterum tibi retractandum est: aut concordia, & vtrumque est explicandum.

Sed absit vt ille hic desipuerit quidquam frustra molitus; neque ipse errat, nec imperata pugnant, sed præludunt admonendis nobis de ea quam gerimus rerum supernarum notitia, atque (vt ad fundum veniam) de Fide. Hæc enim in velo illo, hæc in facibus est expressa, quia nimirum simul aperit nobis cœlestia & occludit, luce aperit, cortina excludit; vt aperiat lucida, vt occludat obscura Cælum cæli Domino, hoc est Sanctum Sanctorum, tanquam dixisset, Arca testamenti, Cherubim, & quæcunque alia in superna aula maiestatem Dei circumstant, ista in-

inquā pro nunc sic nouimus vt nesciamus; ita nescimus vt calleamus, neq; rudes omnino rerum, neque doctissimi; quia nimirum conscientia horum per fidem vmbratilis est, vt potius desperationem sciētiæ reprimat quam superbiam accendat.

Neque vero debuit alia esse illa quæ nos interim docet, nec potuit penitus esse nulla. Viam premere non possumus nisi videamus, adeoque nec viatores esse nisi quid interim calleamus: Sperare nō possumus quod tenemus, adeoque abesse debet quod credimus; ita neque apodixis cælestium nobis committenda fuit, quum sit propria cæli; neque nos ignorantiæ permittendi cum hæc sit inepta viæ. Alibi, beati medium tenent, hic viatores, qui quoniā interim peregrinantur, non possunt patriam nisi eminus atque ità turbide, & per nebulas salutare. Sed & illud adijciam

in

in suffragium fidei quam nobis prælucere, dico etiam Dei interesse. Deus enim non modo illice prĕmio nos inuitat ad merita, sed & supplicijs à flagitio deterret, plagarum crepitu, fumantibus ollis minabundus, atque id genus alijs, quorum, vel ipse obiectorum horror sensum acerbè percellit. An non ergo æquum, ne dicam necesse fuit, hæc prius innotescere nobis quam infligi? ne si incautos comprehenderent, ipse iudex grauaretur repercussu querentium se imineritis plecti, quum non potuerunt vitare quæ nescierunt. Mons Aethna in Sicilia cauernosus ille, & tot faucibus hians, quum annis aliquot mandit materiam incendij, demum sulphuream crapulam eructat, & globos ignis, sed præmisso fremitu, tanquam admoneret inquilinos ruinæ, ac imminentis vastitatis. Et erit aliquis qui Deum Natura deterio-

riorem faciat, aut minus amicem nostri, vt feriat incautos, & quasi circumuētos ex insidijs nos adoriatur, non conscios ruinæ! absit, sed emisso bombo præludit fide interposita, & quasi indicto bello per fecialem.

Quo dicto eorum imperitiam exsufflaui qui sufficere vellent homini notitiam à Natura haustam, siue philosophiam; & merito exsufflaui; vbi enim Ethnicorum addiscam posthumam hanc pasionem, recopulandam cineri suo animam, incendij pœnam, pœnæ æternitatem: recoquenda corpora nec absumenda, violentum aliquod durare obstinatū magis magisq;? Quin si philosophiam consulerem præpostera omnia assumenda forent, & quæ iam recensui ex fide, credere sine aliqua incredulitate non possemus, Non enim dissimulanda est difficultas horum, sed vincen-

cenda. Dura sunt quæ credimus sed certa; rata illa & fixa, sed obscura; & quanquam solida, ac vero ipso veriora, non tamen vbique plana intellectui, sed aduersa, & anhelo illi ac sudanti quasi cliui deuexitas superanda fidei subsidio sed valenti, quanto minus sine vllo. Quomodo enim Natura ei faueat cui renititur? vt ratio id doceat quod retractat, tanquam à tribulis ficus expectes, ab aqua teporem.

Sed enim detur id omne aduersarijs quod aucupantur, nouerit Natura Inferos quos incurrit, adhuc adhibenda erit, si quo minus ad miseriam, saltem ad fælicitatem Fides. Nam beata illa æternitas, neque simplum quid est, neque segnibus contingit. Bipartita est adeoque non simplex: præmium, atque ideo segnibus desperanda. Accersenda est ergo meritorum cambio, quod vt huic merci respon-

ſpondeat, debet duplum eſſe, ab intellectu ſimul & arbitrio tanquam gemina mamma expreſſum. Scilicet in patria videndus eſt Deus, ac proinde hic credendus. Poſsidendus illic, & vel ideo hic ſperandus; nam neque meridies ſine aurora & crepuſculo horizonti fulget, neque cuipiam tam charum eſt quod temerè inuenit, quamquod desiderijs ambiuit. Expungenda eſt in patria fides, an non ergo præmittenda? impleri & abſorberi ibi expectatio debet, non debet autem niſi anteuertat; non enim deſinere nouit niſi quod cœpit, nec impetus Dei opera ducit; ſed ratio, ſed maturitas & mora, quam etſi obſeruare ipſum non ſit neceſſe, ſed nos decet pati. Vide enim quiſquis obſtinate refragaris, vide inquam quam moroſe in his natura ipſa expeditur. Non enim illa lucis ſuæ vmbilicum raptim

ex-

expandit sed minutatim quasi tentabunda horizontem nostrũ antelucano crepusculo quasi rorario velite salutat. Tũ vero quũ solares radij libero excursu obicẽ abesse deprehendũt, prodromam appulsus sui auroram late liberam, & strato itinere quadrigantem expedit ad illecebrã sequuturæ lucis, quam ipse deinde medius idest maximus planetarum valide illustrem vibrat repercussu etiã prouectam, vt qui ipsum recta acie lacesseret, pro die noctem reportaret. Si ergo sol & cælum, siderale lumen tot momentis insensile, quasi ad aurificis stateram produnt, non dicemus dignum Deo fuisse ita vultũ suum prodere ne protinus in meridiem prodiret, quin prius fide quasi crepusculo proluderet, quam totius gloriæ impetu insolentẽ oculum verberaret. Ita est (AA) atque esse mecum acclamabit quisquis non nescit reci-

reciprocantem transitum, quæ fidei & gloriæ intercedit. Nempe Bibliorum codex hic interim gloriæ speculum est, Gloria in cælis speculum Bibliorũ: quod ibi geritur, nos hic interim etsi à longe, per nebulã aut speculum videmus, & vicissim quidquid hic inuolucro tegimus, ibi denique reducto spatio explicatur. Non differimus materia cognitionis sed modo, vario rei obiectu quæ quum se aperit, testes nos facit; quum conuoluit, credentes.

Quo ego argumento stirpitus explosi fidem imò perfidiã hæreticorum; non enim exhiberi potest illis quod credunt quodlibet potius visuris. Non ibi Arius filium infra Patrem videbit, quia non est inferior; nec Macedonius Spiritum Verbo minorem quia ille etiam est ὁμοούσιος Non videbunt Eutichiani carnem Christi in diuinitatem transiisse quum adhuc

illa verè sit cibus'. Nam & Stephanus vidit filium hominis à dextris Patris atq; ita parem: & Isaias Spiritum throno elatum, atque ideo maiestate: & Paulus denique in tertio cælo Verbũ, in itinere Damasceno Iesum vidit, atque ita neutrum in alterum conuersum. Quid erit si ad nostri sæculi prophetas accedam, quos constat nihil minus experturos quam quod crediderunt, nisi velimus dicere non modo Verbum Dei, sed & vultum eius mentiri. An enim Deus se vllis auctorem scelerum ostendet, & tamen id Philippus Melancton credidit. An ibi reipsa persuadebit se in quaque re quamque rem esse, trabes, fungos, & calceamenta? & hoc tamen de eo Michael Seruettus iudicauit. Approbabit fortè ipse pro vltimo tribunali liberi arbitrij seruitutem, serui necessitatem? omnia fato euenire hominibus, quod etsi timere

re solerent, mutare tamen non valuerunt. At hoc est Euangelium Lutheri, qui etiam opera damnat quæ in eo consessu iudex ille extollet non solum benedictione sed beneficio excipienda, etiam stipendio. Raucus sim si horum insanias prosequar indice aut recensu coërcendas; stultus si laborem in ijs abrogandis quæ se ipsis ruunt quanquam non se solis sed cum omni semine & sensu pietatis. Quæ enim pietas illi fundamento superstrui potest? quæ messis operum ab illa semente expectari cui mandata Dei inobseruabilia sunt, opera vtut optima, peccata; sola fides periculosè perditur, cætera omnia vt vt enormia & obscæna, momento per illam sorbentur. Atque alia id genus dictu fœda, actu infamia, cogitatione ipsa & idea, ne dicam auditu & experimento horrenda. Quale in primis est Christum in patibulo despe-

rasse, tum vero etiam damnatorum supplicijs addictum, ac denique ne quid sibi ad demẽtiam reliquum fecissent, Diuinam Trinitatem tricorporem Geriona, tricipitem Cerberum esse. Quid enim vobis videntur ista (AA) errores an furores? somnia vigilantium & turbati cerebri deliria. His nimirum dogmatibus nouatores isti Euangelium suum commẽdant, his gnomis cornicula illi pompam suam instaurant, paradoxis inde inde mutuatis, vt & fidelibus salutem, & Deo maiestatem detrahant, quem denique fastigio suo deturbatũ trans Styga latrantem, suscitandis dæmonibus mancipatunt. Propter quæ (AA) si quid est in me iudicij, quod naturæ debeo, si quid artis quod industria accessit, si quid denique apud vos valent scita veterum, Conciliorum oracula, plaustra experimentorum, censeo Cartha-

gi-

ginem hanc funditus penitusq; delendam, perfidiam recentium Pœnorum aut extinguendam esse aut vitandam cōmuni consilio, singulorum vsu, vt cum ipsis nec fœdera icere, non sacramentum præstare, non conuiuia aliquando, nedum connubia celebrare metu periculi, fuga contagionis audeamus.

Dicam quod legi non sine gemitu dicendum quum veterem & vagientem Ecclesiam nostræ iam adultæ compono. Dum Ariana insania Orientis prouincias quasi turbo penetraret sus deque voluens, Samosatena Ecclesia tot circum cadētibus ambusta, pura sceleris degit, & integra fidei. Non tamen obstare valuit quominus Augustus hac peste correptus Arianum Episcopum eis præficeret. Sed enim quum iste ouibus interesse, etiam præesse moliretur; omnes eum tanquā

voracem lupum iam iam iugulandi fugiebant. Ascendit aliquando vmbonem ecclesiasten acturus; sed eo aspecto populus agminatim cedens, scamna & truncos ei, ligneos auditores reliquit. Idem concessit aliquando ad balnea, quibus cū insilijsset nutu verticis & sereno ore (quod moris erat) inuitauit comiter adstantes, sed frustra; in omni illa corona ciuium qui lauandi venerant, nec vnus fuit qui simul vngi vellet; ne postea quidem nisi effusa illa aqua & recenti substituta, vt ipsa etiam lauacra lauarentur. Denique processit ille per forum equo vectus quā interim pueri illic pila datatim ludebant: elapsa autem illa suiusquam manu & humo excepta, vigente adhuc impetu subsiliens, forte aliqua illisa est calcaneo iumenti quo Episcopus vehebatur: & illi, quid putatis: ignem in foro accende-

derũt, cui circumstantes ipsi pilam iniecerunt diris deuotam, ne quem deindè sacrilego contactu taminaret. Sancta sinceritas quam retrò stetisti? quis ferat? Fides maiorum nobis nõ nisi fide nota est. O ætas aurea orientis Ecclesiæ, & matutinus fulgor horoscopi tum primum horizontem luce virgine ferientis, quanto postliminio huc nobis reuocanda es, si tamen reuocanda. Patres nostri ne beneficium quidem ab hæreticis admittere volebant, quanquam alioqui deuinctis. Oderunt, fugerunt, iumenta quæ premerent, aquam qua imbuerentur; & nos tot sæculis ita in fide profecimus. vt alicubi terrarum illis non dico familiaribus & coniuis, sed affinibus & cognatis fruamur. Nec intelligimus demi nobis horrorem hæresis vsu, & commendari vitia consuetudine, quæ cum

lente serpsit, transit denique in naturam.

De cætero ergo nemo mihi molestus sit, nemo importunus inquirat, cur nunc dierum & annorum pauca extra ordinem, & tritam orbitam naturæ aspicimus, aut portenta miramur, vt videamur nequaquam patribus illis succedere, qui elementis, mixtis, Mundo omni imperabant. Mihi enim in prõptu est retexere difficultatem, non biuio aliquo distinctionis, sed recta, cominus, &, quod aiunt, collato pede. Nempe maiores nostri fide diuites, ipsa fortes fuerunt, ex hoc tripode illi oracula fuderunt, hoc illi flagello elementa castigabant. Hac arundine Moyses ictum mare scidit; his lupatis Iosue Solem coercuit; hac scapha Elisæus flumen traiecit, Enoch & Elias etiam in paradisum quadrigarunt; ne addam noui

fæ-

fœderis alumnos qui credendo montes quasi stipulas mouerũt, mortem & Inferos deprædati, eçciderunt viuos, viuificarunt cæsos, parum est morbis occurrisse, tempestates in sudum, toxica verterunt in remedium, vt videretur olim vulgus Christianorum potentiam Dei non credere credendo sed exercere; quia nimirum illi fidem Dei sartam tectamque volebant; nulla infidelitatis contagione lacessitam, nullo næuo liuidam, non periculo obnoxiam tuebantur. Nos in Septentrione nostra ad limen Ecclesiæ vale infidelibus dicimus, eodem reduces, reciprocum salue damus, vt videamur non professione, sed loco differre. Quis miretur breuiculam hanc fidem frigere, aut expectet portenta ab ea, quæ vix se ipsam tuetur. Animal cum occumbit fato concedens non illicet omni vita exuitur, sed partiariè ac diuisim,

& vix spiranti : quis sanus portenta, ac non magis mortem eius expectet, tanquam igniculi in fauilla sua sepeliendi. Da mihi viuam illam, & vegetam per organa omnia latè animosam, quæ nullius occursu territorio suo ambigatur, & tum denique prodigia loqueris. Da mihi Gallicanum, qui Romano Consulatu insignis, aquilis & copijs præfectus ad Tiberis ostia pauperibus suscipiendis pauperrimum se mancipauit; & ego tibi Scytharum aciem vtut inuincibilem vincam. Da Elesbanum qui diademate Hierosolymam misso, regnum monachatu mutauit; & vero tum ego tibi Barbarorũ cædes, fugam, spolia numerabo. Redde Gregorium redde sæculo Griphonem, & ego montes loco mouebo, Solem mõtibus, vt quum iam præcipitet in noctem, populum nihilominus matutino radio salutet

ſutet, nam quid non præſtaret tam præſtans caſtitas Gregorij, tam cruda paupertas Gallicani qui quum omnia ob Deum abijceret, adhuc proximis impenderet ſe ipſum. Addendũ eſt ergo Fidei; quid me putas dicturum, niſi primo Spem, tum etiam Charitatem, quæ ego hic neque omittere poſſum, quia dixi addenda, neque proſequi, ne in fine ordiri orationem noter, certe autem materiam.

Liceat mihi ſaltem vellicatim quale quid carpere atque ipſa Fidei encomia his impendere, ſimulachrum ex baſi metiri. Nempe quanta Spes quæ fidei incumbit? quæ fabrica, vbi tale fundamentũ? eſt enim fides ſperandarum rerum fundamentum; deme Spem, & Fidem ad pœnam reliquiſti. Quid enim refert oſtendi prædam quam non captes, captare quam non ſis accepturus? Sine Spe fides impendij aliquid ha-

habet, compendij nihil: Sine fruitione autem & Charitate, duo illa se decussant, & tibi crucem figunt, te cruci. Scire non optanda, crapula quædã est; optare non accipienda, equuleus. Summe charum, summe carnifex est quum negatur, aut deserit sperantem, maxime si immineat misero, aut obijciatur. Sudarunt olim poetæ, illi fabri fabularum vt Inferos exprimerent, in quibus iustitia deorum, non segnius quam beatitas in cælis laudaretur. Ergo pœnas sceleribus mensi sunt, vt maximæ pessimos ferirent. Et factum alium vultur alium ignis madit: hunc rota, alios cribra fatigant. In adipe suo frixę libidines bulliũt, glaciale veternum in alio gelu piget: atque alia, aliaque id genus onera, quibus peccatorum vices retaliantur, prout quisque aut in se immanis, aut proximo iniurius fuit. At verò quum

quum in perduellibus numinis læsa maiestas Dei esset plectenda, his Tantalis non sartagines ignis, non crepitus verberũ reddiderunt, sed parauerunt epulas, quibus miseri illi semper inhiarent sẽper negandis. Absit ergo, auditores, vt credamus fœlicitatẽ nec speremus, speremus creditam, nec consequamur, ibi risu digni, hic lachrymis, quod dum negata concupiscimus, præsentia irritamur ad concupiscendum. Absit abesse nobis secundam alam, quum duabus sit remigandum. Non contingat nos loripides in stadium viatorum excurrere, quũ in itinere cælorum arduo illo, & prolixissimo etiam centuplex pes sit simplex. Affectus effectu, Spes Charitate maritanda est, quæ si nos dignetur, certissime sistet veritati quam credmus, fælicitati quam speramus. Nempe quum charitatẽ auditis (AA) non cogitate vnam ali-

aliquam de turba virtutum, sed ipsam encyclopœdiam bonorum, quam hic ego quanquã in agone, & exitu orationis lõgo themate extollerem, nisi facerem interim quod fecissem. Laudaui Gratiam, meministis; mutate titulum & Charitatem commendaui. Res eadem est, nomen tanquam vestem mutauit. Ipsam orbitam ascensu ac descensu terimus; quum scandimus, cliuus illa est, cum illabimur, prona. Ita inquam, eodem diligentes redimur & dilecti, quum obuertimus nos Deo Charitas est, quum Deus nobis, est Gratia. Ipsa ipsa, nam quid non ipsa Deum nobis commendat, nos Deo, &, ne quid desit, etiam nobis. Quam commissuram gratiarum diuinæ, scilicet & humanæ, quum mecum ruminarem, protinus sensi memoriam mihi vellicari, & subire canam illam, seu famam, seu fabu-

fabulam amicorum. Duo erant, & ne tot essent, ambo ipsi optabant. Atque inter hæc tam calidis occurrit Vulcanus, officiosus ille & pronus ad omnem precem. Qui amãtibus illis, cogitabundis interim, & immanè perplexis; quidni (inquit) aperitis vos vt expediam; quicquid erit, rogando impetrabitis, preces pretium erunt. Illi autem, volumus, inquiunt, vt incudi tuæ nos imponas, in vnum deinceps recudendos. Ita in Scoti Peripato diuina gratia, hominis charitas, hoc est reciprocus amor, tam calidè sibi coiuerunt vt vtrumque iam frustra duo, falso diuersa, legitimè vnum appelles. Iam verò obtestor vos (AA) quam formosam eam formã arbitramini in quam diuina humanaque coiuerunt. Theologica illa, etiam theandrica est, vt nisi errem, Antropomorphitæ erroris absolui possint, qui inesse

ho-

homini dixerunt diuinæ naturæ participium. Et verò videte ipsum in Charitate (quæ nobis gratia est) delicatissimis lineamentis expressum ad superbiã vsq; & pompam. Nam quum bis quidpiam exprimi possit penniculo, & celte, idest, sculptura & pictura, Deus cuius natura virtus, altero alteroque modo in charitate sanctitatis integritaté tuetur. Scitis enim quia statuæ forma detrimento materiæ constat & ecce cauitates Charitatis. [Charitas enim non inflatur, non est ambitiosa, non irritatur, non quærit quæ sua sunt, non agit perperam, non cogitat malum.] Et, si alterum expectetis, vt non solum retrimenta hæc quasi offendicula verrantur, nisi etiam solidarum virtutum discoloria pigmenta videatis. Ecce etiam [Charitas patiens est, en & ipsa benigna est; omnia suffert omnia credit, omnia sustinet,] vt me-

merito illa Gratia, audiat, quũ cuique gratissima illa tam diuite apparatu, & bellissima varietate contingat. Ita nos singulariter & subtilius, alij aliter & popularius, ne mireris minus verum esse, quod ambo hæc plura sint, quum veritas in turba quã minimè audiatur. At enim auertat à me Deus deinceps (hactenus enim auertit) vt negẽ eum sapere, cui hęc non sapiunt. Non meam sententiam verissimam, sed verissimam esse meã volo. Propter quod equidem odi horum multitudinem, probaui vnitatem, Gratiæ scilicet & Charitatis. Accliue & decliue sunt, ac proinde idem. Vtrãque partium vinculum est & vel inde vnum. Addam plaustra argumẽtorum? nolo equidem, ne aduersarios interim, aut incautos obruere, aut inauditos damnare traducar. Classicum potius canam:

ADVERSENTVR.

PRO-

PROLVSIO

Nona.

De Baptismo.

QVum hactenus sæpiusculè suggestum hoc pressèrim, auribus vestris (AA) etiam palato dicturus, sed nunquã pinguiori spe, certe autẽ non meliori titulo quam hodie, quando hoc dicendi officium neque dignius quàm Sacramento, neque prius quam Baptismo, neque gratius quam beneficio cæterorum parenti, etiam nostro impendetur. Acuit autem me ad id pensi gratitudo gentium in Naturæ nixum; quæ quamuis non loco minus quam legibus auul-

fæpe disparatæ ; sed in hoc demum conuenerunt, quod annum, diem, locum natales, vtpotè auspices vitæ, ac proinde etiam fortunatum quotannis reduces gratissima ostentatione celebrarent. Celebrarũt autem alijs alijsque modis suis singulæ, omnes omnibus, etsi melioribus cultiores: Aegyptij conuiuijs, Persæ otio, Germani muneribus, Romani sacrificijs. Quo æquius est nos Baptismo vicem hanc referre, & impendere gratiæ, quod illi naturæ soluerunt. Nempe illi vitam debemus; illius partus, ipsius pulli, natalem aquam habemus; Vt (si recte calculos ponimus) anniuersarium ortus nostri nequaquam numerare debeamus recurrẽte horoscopo, quo primũ auram hanc hausimus, quin magis magisque eo quo exuuias vetusti hominis (quanquam tunc recentis), puerperis aquis extinximus, tanquam Phœni-

ces

ces funeribus nostris reparati. Vt quum nos hodie tractatum & examen eius ad Theologiæ trutinam molimur, non absurde censeamur repetere strategemma illud, quod Hebræi mysterio egerunt. Scilicet illi postquam decade portentorum fregissent pertinaciam tyranni incumbentis exitio eorum, denique sudo pede traiecerunt mare, iam tum fugitiuum, & suo alueo exul, timens timeri. Iamque ripæ redditi, supra aquas castra metati sunt in Mara. Neque enim nos aliud agimus, sed ipsum, qui dudum Baptismo imbuti, iam nunc de baptismo disputamus, quod erat dicere, mare illud mysticũ egressos castra supra mare metari. Castra enim & exercitus est disputantium acies in qua arma argumenta sunt, duces Doctores; militia dissidentium est, victoria veritatis; Verborũ iacula, bibliorum pharetra,

quies corporum, labor animorum, opinionum diuersitas, confessionis vnitas, ignorantiæ damnum, scientiæ spolium, fidei status, perfidiæ triumphus.

Quamquam quod hic agimus dudum iam in simili cæptum est, Nempe illi aborigines Philosophorum quum nequeinterfuissent ipsi rerum auspicijs, nec deinde vlli eorum conscio credidissent, Andabatarum more tentabundi inde, inde excurrebant; si quando eos contingeret incidere in vnum cæterorum principium, hoc est aquo omnia nata. Alij ignem præferebant, at ineptè, elementum cœterorum vorax, omnia dissoluere, nihil eniti natum: & hic Heraclitus impegit. Alij eo deuiò reducti primas Aëri dabant, quod nullius cædi immineat, in omnem formam plicatilis, nihil agere omnia pati natus. Sapuit hoc

Ano-

Anoximeni, ſed inſipienter. Pythagoræ numeri placuerunt, Heſiodo Amor, quo tanquam incubante, fœta omnia, & fœcunda vidit, quæ diſcordia quaſi bello perimuntur. Hic oram aliquam ſcopi, Thales vmbilicum attigit, qui matrem omnium aquam aſſignauit, quæ deinde Empedocli, poſtea Pindaro tam immane arriſit, vt aquam voluerit eſſe principem, & propileum ſui operis, ibi, ἄριστον μὲν ὕδωρ

Ita illi appoſite adhoc thema; plane quaſi conarentur mouere ac decidere eam litem, à quo Sacramento aut ſymbolo oporteret Eccleſiam, ideſt, nouum Mundum auſpicari. Qui ignem, aut ſpiritum præmittebant, an non vobis alijs verbis dicunt à Baptiſmo flaminis fuiſſe incipiendum? Qui Amorem, aut combinationem omnium auſpicem voluerunt, nonne palam dicunt à Matrimonio

fuiſſe

fuisse ordiendum. Pythagorici autem numeri stratagemma, inuolucro illo innuit Ordinem primo cogitandum, quum ille in numeris ordinem vel maximè approbaret. Sed Thales, & quorum melior sententia, menti, Aquam omnium vterum, matrem & materiam esse voluerunt: quia nimirum in Christi consilio vicit ille sensus, qui Ecclesiam Dei, idest, Vniuersum saluandorum Baptismo tanquam elemento, & Alpha voluit auspicari. Valeant ergo Heracliti illi, qui à calida contritione, quasi igne quodam, voluerunt hominis sanitatem, imò & natiuitatem ordiri, quũ contritio non cuiuis prona sit, vt nec quiuis vbiq; potest ignẽ accendere. Pudeat Pythagoricos, qui ordinem Vniuersi initium vellent: nam quum is non possit nisi pluribus intercedere, iam illi singulos nos salute, etiã ortu destituerunt. Quæ creta

etiam

etiam Hesiodos, & si qui sint Empedocles nostri perstringit Connubium & copula minimū duorum est. Salue magna parens Aqua, saluete Thaletes, olim physici, nunc vero etiam Theologi, ac diuini. Vos veritatis patroni; tu patrocinij illius verissimum obiectum, alias Naturæ, nunc etiam Gratiæ instrumentum.

Quo dicto eorum pruritum scalpsi, qui inquieti adhuc, & dicaculi sciscitantur, cur Christus melioris Mundi opifex, ortum hominum, familiæ suæ ductum voluit Aquæ deberi? Dicant enim illi, cur in prioris Mundi molimine à primatu & materia rerum exclusus ignis, admissę aquæ sint? Cur ex abysso aquarum, aura volucres, terra reptile, vtraque populum exceperit nulla vicissitudine reponendum, vt Aqua cæteris elementis, nullum illi fœneretur? cuius consilij certum est,

rationes authori, fidem nobis constare; nec deesse electioni causas, sed latere. Sit satis nos alibi rerum principia ventilasse, nunc Ecclesiæ ortum prosequi, quam ad oblectamentum, quale quale vestrum placet alibi prius quam domi videre, scilicet in Synagogæ circumactu, quum ex Aegypto in Palestinam magnis itineribus peditaret.

Enimuero biuium erat quod Aegypto reduces educebat; prior via arida erat, sed illi suberant Philistæi, Hebræis actutum stricto ferro occursuri; altera per aquas ibat Erythræi maris interiectas. Quid ergo consilij capessiuit hic Deus, quam orbitam teri voluit electis aduenis in beatam oram perducendis? Audite notandum; *non eos duxit Deus per viam terræ Philistijm quæ vicina erat, reputans ne fortè pœniteret populum si vidisset aduersum se bella consurgere.* Magna ducis

cis prudentia multo populi beneficio, quorum vtrumque quia in Iudæis cœptum magis quam absolutum est, superest vt hic non solum Dei, sed Christi consilium intelligamus, iudicantes eum noluisse Ecclesiam suam adiri per ferream portam Circumcisionis, quæ Synagogam aperiebat, vbi ingredientibus occurrebant sæui Sacerdotes strictis mucronibus instructi. Quin magis meliusq; eos maritimo itinere eduxit per aquas Baptismi, qui pretio sanguinis sui velut Erythræum corallijs rubescit. Absoluit ergo impotentia damnatum durum Sacramentũ Circumcisionis, quo humana caro saxo ceditur, & nondum capax voluptatis fit obnoxia dolori; ne auersarentur Gentes Iudaicum iugum, quod ne sui quidem gentiles portare nisi mala gratia potuerunt. Et verò quidni extingueretur alias desiturum,

nec enim perfectum esse potius, quod violentum fuit, nec gratum esse, quod acerbum, vt iam mittam infirmitatem eius, & inualidas vires. Certè autem non longo comate videtur à naturæ nixu disiunctum, quin collato pede premere vestigia eius, quia & ipsum Sacramenti puerperium, ad instar prioris gemitum renato extorquebat. Atque inde fortaſsis properabat infra octiduum admittenda, quia cruda illa, & vel inde ingrata, inamabilis erat, vt vix eam quispiam admitteret, nisi pueris illa, id est nescientibus daretur. At verò Catholicæ Ecclesiæ aditus quo Christiani primum auctorantur, non temporis cancellos, non locorum habet. [Ab Oriente illi portæ tres, à Meridie ei totidem, ab Occasu item & Aquilone], vt nouerimus eã paruulis & emeritis patere; & neque infantiam ei immaturam esse, non pueritiam

etiam præcocem, senectam ipsã pigram magis quam tardam, ipsum animæ occasum, & labentis calcem tempestiue huic limini illidi. Quia nimirum ipsum vt nequaquam crudum, ita nec horrori obnoxium est, nec prioris instar amat timeri, sed suauitate blandum, patientia leuissimum, duplici illecebra etiam inuitos inuitat, ne vtilitatem eius attẽdam quæ etiam in Synagogæ libertate, & Aegypti egressu, quasi hieroglificis charecteribus intelligitur, etsi non legatur.

Nempe aquæ, quæ Hebræos sospitarunt, Aegyptios obruerunt rege præuio, dum ingẽti apparatu, non ferro minus quã ira, manumissos Hebræos insequerentur, sed incassum: vt nouerimus, nihil nobis esse timendum, si semel hac aqua imbuamur, non posticos hostes, non obiectum mare, tenebras quas Aegyptij præferunt eua-

dendas, arma quæ vibrant obtundenda, ipsa etiam iumenta hoc est, animalem pruritum vitiorum, eodē gurgite obruenda, ne cuiquam nocere posʃint, nisi optanti. O congiarium summo Imperatore, alio interprete dignum. Dicam tamen ego quod intelligo hoc symbolo, tanquam vesica, inuolui. In hunc alueum Baptismi insilimus omnes à cuspide ad capulum, pueri, prouecti, effœti, omnis ætas, & sexus; adulti proprijs, omnes communi peccato grauati. Sed ibi sic absoluimur à reatu, ita obligantur ictus nostri, obducuntur hiatus, vt immanissimorum vulnerum non supersit cicatrix, & laboret Fides, vt suadeat ipsum quod primo hic desinit, præfuisse: desinit autem originis labes, qua quia imbuta recens, seruauit odorem testa nostra diù: quia primum, ideo cunctorum est, quomodo in-

ca-

capite cætera membra feriuntur. Hoc ergo primum in baptismo perit, quomodo Pharao rex prior fatis cessit; cætera deinde, id est vulgus delictorum, quidquid filij Adam patrimonio peccati pessima industria addiderunt. Ibi omnia occidunt, contracta, commissa, culpam tenus & pœnam, ea syngraphi largitate deleta, tali pumicis attritu dispuncta, denique hac spongia tam tersè abstersa, vt is, cuius ære laborauimus, tot causarum iudex ex omnibus nihil sibi reliquerit nisi obliuionem. O ærarium, ò animum Dei, non magnificũ modò sed prodigum, & beneficia non collata tantũ, sed proiecta. At sistite stuporem, & gestientem effundi latioribus gratijs reseruate: Nempe non desinit hic, sed crescit album eorum quæ Baptismus ex se natis impertit. Multa de eo audistis, sed mala; culpam, quam

diluit, pœnam quam relaxat. Magna accepistis, at non vltima; nec omnia sed summum vidistis. Ille quicquid significat, spondet, totum quod spōdet præstat, quamquam ei restent nonnulla olim præstanda. Baptismi prouentus in hac vita sperari possunt, præstari omnes non possunt, nisi vt maximè pignore aliquo, & cautione, quæ quidem omnium vna est, sed quid corpori præstet clarius in capite lucet.

Ipse siquidem author huius balnei, voluit similis esse particeps, non penuria sed exemplo, vt in ipso agnoscant alij quid accipiunt, quando etiam is qui ante abundauit, tamen in illo creuit. Exagonus quidam, quum in Vrbe hic orator ageret, & virtutem veneni iactaret; Romani Consules volentem eum in dolium aspidum coniecerunt, vt tanti facinoris experimentum faceret, quem serpē-

tes

tes in dolio circumlambere visi sunt, ac demulcere. Ita mihi videtur Christus optimus maximusq; quum crebro axiomate huiuscemodi balnei emphasim explicaret, ne quid ad fidem deesset, theoriæ suæ praxim subdidisse, & experimentum ipse præbere, vt nemo sequentum ambigeret ea sibi reposita, quæ videret priori collata. Venit ergo Iesus ad Ioannem, à quo frigida perfusus cōfestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt cæli, ostia illa duris vectibus obstricta patuerunt, velum templi cælestis lata pandatione hiauit, sed & spiritus Dei columbam indutus leniter illi insedit, ac denique audita est tot testibus vox illa æterni Patris *Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui.* Vt noueris quisquis hæc audis & credis, qui ea in tunc præsentibus vidisti, tibi quoque omnia reposita esse, & vel ideo cō-

ferenda; reclusionem cæli, domicilium Spiritus, testimonium æterni patris, vt quia tu quoque illi numerum filiorum auges, proinde patrimonium regni gaudeas tibi asignari. Adhuc; quia filius illi es, proinde spiritu eius spires: vt nesciam plane quid possit porro auaritia nostra concupiscere, hydrops honoris sitire; & videatur Baptismus fieri debuisse non modo primum Sacramentum sed solum. Nam quid his addi potuit? quotus hæc ausit etiam desiderijs aut ambitu augere. Hic status, & Solstitium est insolentissimi cuiusque votis, nisi forte insaniat, aut diuina non esse summa, aut summo esse quid superius.

Ita est (AA) primum Sacramentum etiam vltimum esset Baptismus, si nos ei fidem seruare sciremus. At modo quum tam palmari beneficio ingrati, & vel inde indigni prodigimus indultum, primum nos fructu

suo

ſuo deſerit, quod primum dignatur. Perdimus leui opera, quod nulla poſſumus reuocare, ſemper enim maxima ſunt ſola. Vnus Deus, ſola beatitudo, vnus baptiſmus, quia nimirum cum omnia in vno concreſcunt, ſi quid ſimile ei ſuccedere poſſet videretur monſtrum illud rei, ſcilicet aliquid toto maius. Excidiſti Baptiſmo; vocare eum potes, reuocare non potes. Quin quo pronius ille, etiam non imploratus accedit, eo magis immobilis eſt retrahentium votis, & plane ſurdus: quod quamuis durum, ſed dolere magis quam mirari poſſumus. Nempe natura etiam idipſum nobis reponit: Frater es, alteri vtique, aut certè ſorori. Si gener, ſoceri; Maritus vxorem pati debes, priuignus nouercã. Fac iam aliquid horum ſibi mori, tibi perire, non modo dolere iacturam potes, ſed ſarcire. Imminutus es fratre, potes au-

geri, si ex eodem trunco alij surculi oriantur. Cum vxore socerum amisisti, sed alio Hymenæo omnia, etiam generum recuperabis, ne nouercas aut priuignos addam, quas cauere non sperare solemus. Sed si orphanus es altero parente vel vtroque, nulla connubiorum fœdera, nulli nixus filiorum orbitatem tuam poterunt instaurare. Parens semel tantum perire potest, vt etiam semel parere eundem, deinceps quodlibet potius sperare potes quàm ipsum. Et ecce hic griphum in meridie & sole explicari. Baptismo nascimur, vnde ipse parens natorum est, scitis autem quia parens cuique perire potest, redire non potest. Nisi pareret nos ille, periuimus: si rediret natis, non pareremur, Cætera quoque numerum facere possunt? pasci sæpius potes, atque ita Eucharistia sæpius saginari; Commeatum belli repe-

tere cum ipso vales, atque ita vngi; ac denique absolui quoties accusaris, quia nimirum ista appendices vitæ sunt, non auctores. Primum sacramentum parit nos, ac proinde semel, mater est atque ideo irreuocabilis, vt neque rursus impendi possit iam natis, neque si impendatur prodesse ijs qui præfuerunt.

Capio iam quod audiui à Christo, omnes nos fratres esse, nec in Euangelio legi cognationem, nisi summam. Germani sumus, vterini sumus, quia nimirum ex eodem fonte, aqua velut vtero nati. Capio cur ad continendum in officio Mundum piscatores lecti sunt, certè autem instituti, quia nimirum aquaticum populum conuenire debebant, homines in aquis natos, & proinde pisces. Essent illi volucres, aucupes mitterentur; feræ forent, venatores accepissent; at modo quũ

con-

conceptis verbis piscatores ei spondentur, atque etiam vera opera impenduntur, claro clarius euadit, nos pisces, aquam parentem, piscatores Ecclesiastes esse, regnum cælorum sagenam. Quanquam nec id nisi nescientes percellere deberet, indoctos suam ipsorum genesim, quam si ad naturæ cunabula ducas, in aquam, & humorem resolues, quum animalium omnium semen humido constet, quod si contingat arescere, extinguentur. Adeo nos etsi bis geniti; vtrobique natalem aquam habemus, aquam parentem, nos fratres, omnes diuina natiuitate superbi.

Etenim quũ hic stylum figo, & veluti scipionem cogitabundus premo, aut erro aut eruo nos aquatica natiuitate valenter sequi, ac tantum non assequi natalem Verbi qua olim habitauit in nobis. Ille de spiritu & fœmina conceptus, nos

spi-

ſpiritu & aquâ. Vtrobique virgo, vtrobique ſpiritus; fœminæ ſuperuenit, aquæ ſuperuectus. Ille ſeminat, iſta parit: ſpiritus fœminæ obumbrauit, idem aquę aſpirat; vbique matres ſpiritu grauidæ, verbo fœcundæ; vbique Virgines, quam enim integritatem ſpiritus violaret cuius incubatu aquæ (parum eſt non dehiſcere,) nec criſpantur. Ambo Virgines, at non ſtatim pares, in diuerſis ſtateris vna fælicior, altera fœcundior. Prima enim mater Maria parere deſijt vno fœtu effœta, altera tanquam filijs fœcunda nixu vterum laxata, ſequentem prolem priori ſeminat nullis finibus definita Sic auctor noui generis Spiritus domini genus hominũ hac origine edidit diuinum. Sic noua proles quia elemento aliquid debet, aliud & maius Deo, rectiſsimè dici poteſt reddere, ſeu exhibere modo ſtellas cæli, alias arenam maris. Cæ-

leſtis

lestis enim originis est ob fœtantem spiritum, Maritimæ ob aquas, tanquam grana in ripam despumata, eo numero ne censum subire posint, ea fœcunditate ne finem. Et deniq; hic nouæ prolis pater, qui ad propaginem sobolis aquam desponsauit merito repositum habet nomen vxoris suæ Euam, eo quod mater sit cunctorum viuentium: non enim vita viuitur nisi quam aquæ debemus, tolle aquam & occidisti. Primi fœderis sacerdotes subire Sanctuarium non poterant nisi loti; nec secundi seu nostri, quidquam sancte moliri, nisi hac aqua imbuti: non esse carnem, nec potare sanguinem Christi: non sisti tribunali, non vngi ad palestram; & quid? dico viuere, ne mori quidem possunt quomodo decet, nisi in antecessum abluti. Quæ enim amentia embrionem absoluere, aut accusare? cataplasma applicare

non-

nondum nato? quum hic oleũ, ibi opera, perdatur. Quo puncto non modo vtriusque fœderis leges colludere sibi videntur, sed Natura vtriq; nam & aqua, etsi ei demas Dei Spiritum, adhuc illa Eua, siue mater est cũctorum viuentium. Tu mihi viuens assigna, ego in eo aquam, seu humorem assignabo. In virgultis ac plantis idem est arescere quod mori. Animal sanguine subsistit, adeoque liquido. Ratio denique, ad quam spectant infulæ animarum, cerebri humore constat, quem si exprimi contingat, furere hominem videbis in ipsa ratione irrationalem.

Non enim docendus fuit Deus, vt sciret Gratiam Naturæ maritare, aut quæ quibus essent coniuganda. Quo enim vteretur ad baptizandum, idest, abluendum, nisi aqua? ad pascendum quàm pane, ad absoluendum, nisi iudicum aucctori-

toritate. Quid propinaret nisi vinum? quid disponeret nisi Ordinem: aut an aliud denique conjugare posset nisi sexus? Ita hic Naturam Gratiæ obstetricem reddidit, vt ista lubricante transitu à materia in matrem transiret. Quinimo si in penetral Dei intimare se cuiquam liceret, possem hanc etiã rationibus addere, vt proinde voluerit Deus primitias sacrorum in aqua proferri, vt eo pronius Gentes ad Christi familiam pertinerent. Alliciendæ illæ erant, & velut efferati equi popismate aliquo cicurandi; vt eò magis Christianis sacris initiari se sinerent, quo minus viderent ea à suis abesse. Iam verò quæque gens, & tribus, rerum publicarum comitia, priuatarum familiæ, etsi locis absentia, sacris discreta, linguæ & morum diuortio quasi tot Isthmis auulsa, sed in hæc aquatica balnea communibus calculis

ita

ita conuenerunt, vt Iudæi gentizare palam viderētur, & Gentes religiose Iudaizare. Omnes enim & singuli pariter hydropici, aquarum tinctu expiari se credebant. Hoc de Hebræis hagiographi prisci & præsentis fæderis, de Græcis Herodotus, de Aegyptijs Oro, de Persis Strabo tradunt, vt mihi Deus pareat naturali stratagemmate in dispensanda gratia vsus, & quomodo farinæ massa tot granulis minuta in coagulum denique aquarum suctu concrescit, ita ille tot capita, cæteroqui aduersa inuicem & obiecta, vnius elementi ligula vinxisse. Quis loquetur prudentiam Domini, virtutem aquæ? quæ etiam terras, & regiones (ne respublicas dicam) committit; hæc nimirum Hesperiam Italiæ, Asiæ Africam, Pontum Propontidi innectit, quasi quædam catena & interuallum ita dissipans illa vt abesse ea faciat nō abscindi.

Sed

Sed erigamur aliquando atque has Elementi antiphonas æquius ad Sacramentum transferamus, vt in meridie rationis explicemus lauacri nostri non sanctitatem modo, sed vsum, sed fructum & fœnus. Quanquam ægrè his impendar, apodixim vllam molitus, ne quod euidentiæ proficit fidei detrahatur. Amant enim ista oculi (AA), vestigari nec erui volunt, personam nō vultum mōstrare. Sed absit, vt ista putent à Deo sibi esse timendum cuius est obducere illis laruam & detrahere vtsi fortè inius ab eo fieret, iure irrogaretur. Et tamen ipse Dominus vt olim in Thabor stricturas quasdam illustris animæ in cutem suam prorumpere dedit, ita hic lauacri huius emphasin quam Fide apprehendimus, experimento subiecit, vt inuisibilis animæ nitor in carne videretur. Quarto retro sæculo rex Tartarorum Cassa-

Caſſanus alio nomine Magnus ducentis equitum millibus Syriam cœpit & finitimas regiones. Omnibus ergo formidandus poſtulauit à rege Armeniæ filiam eius in vxorem, quam fama pulcherrimã ſparſit. Armenus, quanquam alioqui Chriſtianus, ſed tyranno mulcendo virginem conceſſit, quæ deinde vterum geſtans edidit informem fœtum atque ea ſymmetrica horrendum, vt rex in rabiem actus, nequaquam eum pro ſuo agnoſcens, etiam matri pœnam minaretur. Illa autem etſi nihil ſibi conſciret, ſed iam capiti obnoxia petijt vt filium ſuum Chriſtiano ritu abluere ſibi liceret; & licuit, ſed ſpectante rege, & ex proceribus quibuſdam. Simul autem ſalutaris aqua imbuit abortum illum tot maculis infamem, ſimul hoc, ſimul ille in aliam ſpeciem recudi, bellus, amabilis, Aſcanius aliquis, amaſius

Vene-

Veneris videbatur. Quis iam importunus obstrepat & neget nos in Baptismo nasci, aut natos interim emaculari, cum etiam barbarus ille obstinate gentilis ad hanc metamorphosin continuò cristam deponere, & perfidiam abiurare debuerit. Sed an vnus? an primus? Ac non idipsum Constantinus Romæ, Theodosius Thessalonicæ, Tyndates in eadem Armenia, Clodoueus in Gallia roscidis his guttis quasi muralibus pilis expugnati? Vt planè notari possit si quis velit, velle autem omnes debeamus, Baptismi gratias & portenta illa quæ oculos feriunt densiori imbre Principibus & Augustis impluisse: siue quia ille primitiæ est Sacramentorum proinde principes decet; siue quia relligionis nouitas quā Baptismus præstat a capite incipienda est; siue ideo denique quia Deus eo stratagemmate Principes dignatur, quo Christum

ſtum in quo explicari voluit quid cæteris ille prodeſſet.

Quamquam ego non maximè miror hæc miracula, poſtliminium formæ, & nitidam cutem, atque id genus quæ nequaquam fructus baptiſmi ſunt, ſed ſigna. Mihi lineas ducat Geneſius ille olim artis Thymelicæ magiſter, qui inopinato verſu comicum ludibrium Nragica cataſtrophe mutauit. tempe Diocletianus Auguſtus, fæx principum, & paludata furia, inter tot portenta malorum voluit ſibi ludum exhiberi de myſterijs Chriſtianorum. AdductusGeneſius opportunus huic ſtrophæ impoſtor, tanquã æger in theatro locatur: acciti etiam presbyter & exorciſta, qui eum tanquam candidatum Chriſtianiſmi frigida perſuderunt, perfuſum albis induerunt, (qui tum vſus erat) ac denique martyrum more de ſacris Chriſtianis examinandum Impera-


tori

tori oblectando stiterunt. Sed ille ludo defunctus personam depofuit, & attonito theatro, tam acer orauit de Catholicæ Fidei necessitate, polylatriæ insania, vt irritatus Imperator Plutiano præfecto eum tradiderit palinodiæ, aut tormentis addicendum. At enim ille diuinę aquæ suctu in cristallum duratus, tundi, cædi potuit, moueri, aut deficere non potuit. Primò siquidem fustibus acerbè ictus, tum equuleo suspensus est. Ad hæc ferreis vngulis lõgum vellicatus, tum admotis facibus ambustus, fabulam illam ita seriò egit, vt non prius desineret quam capite imminutus cælo caperetur.

Sic ego (AA) optimam causam optem perorari, his argumẽtis Fidei nostræ fidem facere deberemus; quę quoniam effœminatis nobis deesse nolumus magis quam repugnamus, saltem ingeniorium censum ei im-

impendimus. Studeamus tuendis illis, acuendis nobis, vtrùque enim officium religioni cõfert. Duæ acies in Christi castris merent, cruenta Martyrum, quieta Doctorum, qui etsi in eodem stadio, sed in diuerso curriculo sunt; quin quasi Antipodæ inuicem aduersa vestigia vrgent, illi actuosi, isti patientes. Illi non repugnando vincere, bellum visceribus deuorare: Hi pugillarium stylis, catapulta oris, hostem cominus inuadere, & molaribus pilis verberare. Nemo se subducat tanquã occasione destitutus: Deest hostis, accersatur: Extincti hæretici, simulẽtur; facile est vbertatis remedium, durum exemplo præparari; vt, si quæ sit religionis cura, salutis prouidentia, potius præparatis nobis pugna desit, quam pugnantibus apparatus. Ergo adeste Pelagij, venite Cataphryges, cogimini Donatistæ. Hic Ma-

cedoniũ, alter Eutycheten agat. Vltimus Alemannos, ad quos tanquam triarios in hac vespera sæculorum Anabaptistica causa & sacramenti huius iniuria defendẽda peruenit. Credo equidem illi non modò pugnare nolent sed pugnasse; quod etsi necdum saperent, sed docendi in posteris sunt, vt nemo vnus illorum dementiæ tenax malit esse si possit, ne possit quidem si velit.



PRO-

PROLVSIO
Decima.

De Pœnitentia.

TAmburlanus Scytharum Imperator multorum cladibus notus, inuadendæ cuipiam vrbi intentus, quum in suburbanis castra fixisset, tentorium suum sic explicari mandabat, vt primum illud niueo syrmate, & late candenti niteret: Tum verò mutata scena sanguinem & ruborem indueret: ac denique si obsessis adhuc animus constaret, atrum vndique obduci piceo velabro iubebat. Id innuens (si rectè retexo) quod si obsessi deditionem cogitarent nullam vim experti, placatum fa-

facillimè subirent. Sin verò obstare auderent, bellum merentibus indici; & si porrò vaderent, pertinaciam morte luendam. Quod stratagemma meliori authore dignum, videtur mihi non repetijsse in signis suis Christus sed cœpisse, quæ ita succedere sibi voluit, vt nemo sequentis fidem subire posset, nisi qui priorem irritasset. quod si etiam in secundo tentaret, huic denique obstinate dementi non aliud quam mortem expectandam. Siue (vt aperiam me, & Scyticum paradigma non tam Sacramentis obducam quam oratori, quo ita appareat constare sibi ordo proludentis:) Christus asserendo sibi Orbi intentus signa sua primum niuea explicari iussit, hoc est à Baptismate cœpit, oblata omnibus non impunitate tantum, sed innocentia, quam etiam stola candicante præferrent. Hanc autem si quando

illis

illis næuo aliquo taminari contigiſſet, recidiuum ſanguine ludendum; ſiue, pœnitentiæ minio & pumice, hoc eſt, moleſtia aliqua cruente delendum. Et denique ſi neque ſic quidem reſipiſcerent remedijs abuſi, tum denique eos tanquam deſperata capita & proſtitutæ ſalutis; in peculio Proſerpinæ numerandos. Quod ſi rectè Chriſtus geſſit, Tamburlanus præfigurauit, me etiam per eadem veſtigia progreſſum nemo non inquiet ordinatè hęc ſigna, id eſt, Sacramenta explicare, vt quũ à Baptiſmo cæperim, in viciniam Pœnitentiæ procedam. At enim priuſquam circinum orationis meæ per ampliora ſpacia circũducã opportebit cuſpidẽ eius in cẽtro diuinæ miſericordiæ valẽter figere, ne tantus Pœnitentiæ encomiaſtes vmbras vẽdere, aut ſomnia prædicare traducar.

Non enim defuerunt illa capita, qui hoc tam ſalutare

orationis atque actionis obiectum pœnitentiam, speciosum nomen duntaxat, ac titulum sine re mentirentur; & dicerent aut nihil posse baptizatis mederi vt Cataphrygæ, aut non nisi semel, vt Nouatiani; aut deniq; aliquorũ duntaxat criminum veniã adferri posse vt Montanistæ,& in illis illud Afræ eloquẽtiæ fulmen Tertullius intonaret. At enim illis interim optandũ est vt errauerint,væ enim illis si sapuerunt, qui tam pernicioso dogmate remediũ sibi inuiderunt. Aut enim illi post balneum Baptismi, sua opinione nunquam inquinantur, & credunt incredibilia; aut dolẽt se aliquando inquinatos, & iam frustra vexantur, quoniam quũ in pœnitentiæ portu anchoram Spei iacere potuissent, tempestati se crediderunt, abysso desperationis sorbendos.

Et vero quid miseros in has Syrtes allisit, nisi quod infinitatem

tem anguſtè menſi, putauerunt ſe non modo ad Dei ſimilitudinem factos, ſed etiam ad paritatem. Coloſſum Pygmæo definiuerunt, Cancreum retrogreſſum præpetibus pennis, & rapidiſsimo volumini compararunt. Viderunt ſplenem ſuum facile irritari, difficulter poni, vt quum redirent offendicula, multitudini ſuccumberent, quā nequaquam cōcoquere poſſent, niſi referendam. Quum interim illi ſi quid ſaperent vt homines, crederent vt fideles, ſe ipſos docere deberent vt diuina indulgentia ne cogitari quidem à nobis poſsit, quanto minus exprimi? quoniam ſi intelligi illa poſſet, non foret ineffabilis; ſi exprimi non eſſet ſola: atque adeò quando illa infinitate ſola eſt, ſolitudine ineffanda, quodlibet potius cogitandum eſt, quam vt ſtrumā noſtram, & veſicas lædendæ maieſtati appendamus. Deus

potius nullius misericordiæ est quam paruæ. Idem est ei iminui maiestate, & excidere, ac proinde non potest vllibi virtutis optimo deterior esse, infinito minor. Et verò quid illi in hoc genere addi potest ad plausum, qui quasi solo clementis nomine censeretur, instrumēta iustitiæ in symbola misericordiæ recudit. Arcum, quem nouimus omnes excludendis sagittis inuentum, ille ad tholum palatij sui signum indulgentiæ appendit; machinam belli præsagium pacis facit, tam effusus ad ignoscendum, vt quū ad votum non suffecerit ei misericordia, suppetias à iustitia aduocarit. Quum statuisset æquis passibus ius & clementiam premere, sed in orbitam miserationis quasi lubricante vestigio abreptus, seipsum millecuplo superauit, vt quum iustitiam trinitate definisset, misericordiam miriade propagaret.

ret. Illam parce dispensat quarto gradu conclusam quasi contra cliuum conatus; hanc vbertim surgere passus est, vtpotè in quam prono calle iter ipsum lenocinaretur, vt non tam ire quam ferri se sineret, ne id quidem, sed præcipitari. Siste, mihi præcipitem, statue lubricantem, Iridem illam Oratorem Dei inuerte, vt diameter terram, arcus cœlum spectet, ac tum denique ego tecum non modò misericordiam eius, sed veritatem desiderabo. Interim quamdiu chorda solo sternitur, arcus cœlo minatur, si intelligar, audebo dicere, potius cælo à terris, quam nobis à Deo timendum. Isti ergo figuli Semonis huius & semideitatis, nequaquam diuinæ misericordiæ sed insaniæ suæ moderentur, qui quum principem sustinere possent, tyrannum habere maluerũt. Digni suo idolo, vt experiantur quem finxerant,

rant, quia fingere Deũ maluerũt quam experiri. Sed abeant illi ex consessu sapientũ quia stulti, ex cœtu fideliũ, quia damnati, denique humanitatis participio expungendi qui superiorem nobis naturam ne quidem parem esse voluerunt. Quotus quisque nostrum est, qui non ignoscit oratus, aut vellet sibi ereptam virtutem, inimicum etiam reducem absoluendi? In Carolũ illum etiam clementia Magnum Pipinus filius coniurauit: res publica fuit, ignouit. Rediuit Pipinus ad vomitum, rediuit Carolus ad veniam, & iterum ignouit sceleri feritate barbaro, ingratitudine etiam pudendo. Iulius Cæsar memoriæ in paucis raræ fuit, sed exciderunt ei inimicij, & quotquot eum iniurijs lacesscerunt. Ita ille non contentus venia errores delere, obliuione deleuit, quominus dubitandum est Deum maiorem Magno, Cæsare meliorem, quũ

inju-

iniurias ſuas obliuione delere non poſsit, venia delere.

Itaque nihil adeò inſanum ac compedes Deo inijcere, ſiue iniurijs eius numerum ponere, aut virtuti modum. Sępius placari ille quam irritari poteſt. Macti animo perduelles, ſit qui oret, erit qui exaudiat: ſit quem pœniteat, non deerit qui indulgeat, etſi ſeptuagenaria hebdomas peccatorum infælici fœcunditate ſilueſcens venia ſua velut meſſe feratur. Ita cenſeo (AA) & credo omnibus cenſendum: nam quidni virtuti aſsignemus quod melius eſt, Deo quod ſummum, nobis quod neceſſarium? Quidni arbitrio cōcedamus quod videmus naturæ, animantibus, etiam elemētis ipſis indultum? Mare æterno æſtu inquietum plenilunio purgatur, non vno aliquo, ſed omni. Capræ Cretenſes, quum cuſpides eis inhæſerunt, dyctamno eas quotdiebus ejectant: &

quis vspiam hominum medici titulo audiat, qui symptomata sæpe redeuntia semel tantum repellat? Ergo pœnitentiam aut nunquam institui decuit, aut non destitui vnquã ac desinere: æterna esse debuit, quæ nimia fieri non potest, vt quoniam nos amentiæ nostræ modũ non ponimus in peccando, nec illa deliquio aliquo subsistat vnquam aut stagnet, quin inter tot scelerum portenta impœnitẽtia ipsa pęnitẽtia sua deleatur.
Stet ergo adamantinum illud, Dei beneficentia, nostro bono, virtutis etiam pollentia septies sartum ac tectum, nullum scelus pœnitenti imperuium, nihil resipiscenti serum, adeoque in ruina nostra prius pœnitentiam quam spem abijci, vt quanquã in rationibus nostris recurrant scelera multitudine innumera, turpitudine fœdissima, grauitate infinita, sed denique etsi accusandi de omnibus, iudican-

candi videamur de vno, scilicet de palinodiæ neglectu; quã si quis subderet tot plaustris peccatorum, fateor quidem, quod est, perperam illa, sed impunè omnia præmisit. Hæc enim nescio quid summo majus, maximo superius audet in præterita redire, atque illis censoria virga qua reditum imperare, qua inane suum reddere, postliminio sanctitatis, culpæ & pœnæ expunctu. Audiant enim qui obstant & arietant in nos virginitatem, quæ continuò haberi debet, semel tantũ perire potest disperato regressu, quasi innocentia & pœnitentia sint idem. Audiant: E tribus puellis quæ iugi continentia decennium simul impleuerunt, vna aliqua importunitate sollicitantis victa consuetudinem stupri admisit, & prodidit edito fœtu; sed in se reuersa, petulantem carnem castigauit eo fœnore, alienas infirmitates pro-

procurarit ea charitate, vt, nisi Deo fidem neges, necesse habeas illi sanctitatem reparare. Nempe ipse Deus, cuius sententia hic decretoria est, quia iudicis, certissima quia veracis, ille inquam ipse cuidam ex illo sanctorum cœtu palam pronunciauit, illam olim Virginem, iam prostitutam, nihilominus gratiorem sibi tum, quā eo tenus, hoc est, vt ipse sui interpres exposuit, pœnitentia meliorem quam virginitate. Notate dicaculi; nec est quod opponatis necdum virginitatem rediisse: fateor nec redituram, sed quid interest quod absit in se, si in simili recurrat, & redeat, non ad numerum, sed ad pondus. Potest quid aliud esse, & tamen æquale; non statim deterius quod diuersum est.

Et quoniam nos pœnitentiæ præcones salebram hic patimur orbita iam calculosa ob eorum

scru-

ſcrupos, qui quidem non plura aliquando ſed aliquid pluries referunt, recoquentes illam crambem integritatis, quam dicunt nec deitus reddi, addam aliquid quo hos tam criticos, aut ſtatione dimoueam, aut certè impedimentis non paulo maioribus inuoluam. Prouoco enim ad Prouerbia, hoc eſt ad tribunal Salamonis qui breuiſſimo comate litem diremit, & quaſi fugiendo abſoluit quam exactiſſimè, dum imparem ſe abſolutioni eius iudicaret. Nempe ille paradoxa aliquot omni induſtriæ ſuæ ſupereſſe pronunciauit. [Viam aquilæ in cælo, viam Corubri ſupra petram, viam nauis in mari, viam viri in adoleſcentia,] & addidit actutum *Talis eſt via mulieris adulteræ quæ comedit, & tergens os ſuum dicit: non ſum operata malum*. I enim, & inueni in interrupta aura hiatum quem volatile vllum diduxit:

Vade

Vade & vestiga cicatricē aquę, quam prora, aut carina diuaricauit. Lege denique in scopulo sulcum, quem lubrico volumine spirarum erraticus anguis attriuit; & quum denique irrito conatu aduerteris hic hiatus & vibices desperandas esse quia desunt, deesse autem quia subductis cuneis pandationes illæ protinus ablegatæ reduci integritati cesserunt, intellige talem esse viam mulieris adulteræ, seu alioqui corruptæ, vt quum illa pœnitentiæ spongia se terserit, diuinum etiam panem comedit, non modo interrupti claustri pandatio non superfit, sed nec pandi vestigium: quod erat dicere, in diuinis rationibus ac fastis infamiæ eius maculam expunctam esse, etiam memoriam. O spōgiam ter validam, ò valorem expungentis! quid enim Baptismus, quid mors, & martyrium, quid quanta sunt symbo-

la

la gratiarum, etiam cataractæ cæli addidissent; nam neque plus præstari potest quam vt mala omnia absterganiur, neq; gratius quam vt citò. Ita de virtute pœnitentiæ non est ambiguo locus, de veritate est amplissimus. Quærendum est non quid illa possit, sed an nos velimus. Nam quod aliquando superest, non pœnitentiæ ad valorem, sed nobis ad pœnitentiam deest. Nempe illa optari facile potest, non facile impleri: votis cito illabitur, industriæ rarenter, vt videantur hic diræ illæ redire quibus prima fœmina perstricta est, quia scilicet omnes virtutem cum voluptate concipimus, cum dolore parturimus, & proinde illa iam excludenda partu, aut resiliat cocco illo sanguinolenta, aut certè obstetricante vitio abortum turpissime patiatur. Tentari pluries potest virtus, adquiri semel. Ipsa in

medio

medio, adeoque centrum est. Circumstamus nos, & peripheriam orbe ita integramus vt vno radio collimare possimus, sexcentis errare. Aut enim abstinemus fuga impendij, & est parcimonia: aut illati vi, & necessitas: aut fuco & hypocrisis est; aut irritandæ fami & ecce gulam; aut redimendæ, & hoc cautelæ erit; aut castigandæ crapulæ, & est medicum: aut fastidio, & est morbus; Toties vnum quid in scenam prodit eodem vultu, diuersa persona. Tam obnoxia sunt omnia nostra detrimento, vt ne id quidem iactare possimus quod optimū habemus, atque ex censu nostratum bonorum, opera in certo sint, pretium in ancipiti.

Atque, vt vtilissimum argumentum ex opaco hoc & vmbra, in puluerem & castra educamus subnixis molibus exemplorum: In diuinis Biblijs plurium metanæas habemus, sed

quo

quætam factam ac sanam, quam non simulauit fucus, non ingessit vis, nihil fraudis circũuenit. Cense illos quasi sub signis decuriatos, & asseres quod mihi incumbit asserendum. Ecce enim Esaum pœnituit, sed serò; Saulem, sed simulate; Antiochum, sed impotenter. Quis Iudam Inferis eripiat, & hunc tamen pœnituit; Pharaonem excusabit etsi resipiscentem? neque locus aut latebra dubio est quingigantes olim numinis perduelles aqua circumuenti pertinaciam suam cum illa oderint; sed ideo incassum omnes quia nemo virtutem suis numeris absoluit, quisque parte aliqua truncam cœpit magis quam expediuit. Quin cuique eorum aut tempus defuit vt Esau, aut modus vt Antiocho, aut materia vt Sauli, quem lucrosa resipiscentia nundinantem pœnæ tantum pœnituit.

Vsque adeò non est, quod cre-

creditur, leuiòris ſcenæ fabula, aut aliud interim agentis actio pœnitētiæ; quin tot amuſſibus, & neruis compingenda, vt etiam certiſsima quæq; ſuſpecta eſſe debeat attendenti in hoc genere diuinæ iuſtitiæ talionem.

Dicam quod didici ex probatiſsima fide authorum; quod, ſi quis veſtrum ad vſum ſuum, non tantum ad oblectamentum audierit, næ ille palpum omnem abijciet, nec niſi tardiſsime credet reddidiſſe ſe vicem in pœnis, non dico numero peccatorum ſed vel primo. Gotefredo Piloſo Comite Barcinonis in cripta aliqua ſacri montis Serrati degit anachoreta, cui nomen Ioanni Guarino. Hic ſceleris purus & ſupra hominem ſanctus, Stygem aduersū ſe concitauit immanè frementem, homuncionem vnū tot eorum machinis elapſum, cœlum meritis ſubire. Itum eſt ergo in perniciem viri, & communi

muni consilio veteratorum emissi sunt Orco duo, doctissimi pro re nata fingere quodlibet & videri. Horum vnus anachoretam induit & quum in eodem monte criptam sibi designasset, eo schemate occurrit Ioanni, scipioni innixus, promissus & impexus barbam. Tum etiam officiose salutatum rogauit eum ne in molestijs numeraret si identidē eum accederet de cælo & cælestibus disserturus. Ita ille impostor; nam alter insigni strophа inuasit elegantem virginem Rachildem Comitis Gotefredi filiam, & quum hospitem dire vexasset horrendum stridens, consternatus Comes (quod ipsi creditis) præsentissimo remedio duxit si illa decantatæ sanctitatis viro Ioanni Guarino sisteretur. Visum, factum: ipse eam duxit, stitit, & orauit per superos & cælum, per quidquid amaret, misereſceret, & moueri se

pa-

pateretur patris lachrymis, filiæ calamitate. Sed ille protinus stomachum sumere, & prouinciam valenter detrectare, nequaquam superbus vt angelis imperaret. At denique expugnari se siuit Comitis importunitate & præmissa oratione imperauit dæmoni abscessum. Paruit ille exorcistæ, sed cunctabundus & minax, professus etiam se propediem rediturum; scilicet, vt proinde puellã Comes relinqueret apud anachoretam tanquam in præsidio. Diuinauit, ita visum Comiti, & factum ingenti periculo, etiam ruina anachoretæ. Nempe quoties illam cõueniret (conuenit autem sæpissimè) protinus eum illa frons virginis tam exacte venusta captum oculis implicauit; quum interim agyrta & textor huius tramæ dęmon libidinem eius intro tam valenter irritaret, vt necesse habuerit Ioannes alterum col-

legam

legam in vicina cripta accedere de fuga consulendum. Sed hic ex asse aduersus, omnia præter hanc suasit, inquiens inglorium esse, & plane pudendum si miles prælio se subducat. Quemlibet paci ferendæ aptum, virtutem in tempestate exercendā: atque alia id genus, serra semper per hanc lineam reciprocata; quibus iste infæliciter confirmatus consortium virginis repetiuit, & simul ignem: cui denique impar sustinendo vim virgini intulit sacrilego stupro corruptæ. Vbi autem libidinem expleuit, sibi redditus, immane sui sceleris expauit, sed & fodicantis conscientiæ stimulis inquietus, deuouere se dæmoni, & iam tradere merito Inferno cogitauit, si tamen collegam de hoc quoque consuluisset. Consuluit autem, & audiuit dignam eo authore sententiam; scilicet publica mala priuatis esse redimenda, quum illa

tot

tot momentis præponderent; adeoque cum iam succubuerit libidini, occurrendum esse infamiæ per puellæ cædem, quam (quia clam omnibus transigeret) certissimè sciret perperam quidem, sed prudenter imminenti infamiæ monastici status obijciendam. Ioannes adhuc demens credidit omnia, & verò perfecit: Regressus in criptam iugulum puellæ petiuit, quam iam exanguem atque ideò exanimem foueæ ibidem inclusit imposito saxo obstructæ. Quod quum dæmoni retulisset, tum enimuero ille parta victoria, & cachinno edito lætus, videri desijt in auram resolutus. Hic enimuero quisque cogitare rectius quàm audire potest quam syncopam animi Ioannes incurrit quum superesse se videret prostituto pudori, cæsæ iam non virgini, dæmonum ludibrio. Quid fieret? crepuisset medius desperante laqueo suspen-

perante laqueo ſuſpenſus, niſi diuina munificentia apud ſe aliquid valere ſineret ſtadium eò vſque ſudatum. Itaque conſilij ſui pror am Romæ, puppem antro vertit, & quum Pontifici ſceleris conſcientiam explicaſſet, veniam ab eo accepit, & ſimul hanc mulctã, vt cryptam ſuam repetens montem reptando ſuperaret; neque vero locum, aut pronitatem illam mutaret quoaduſque trimeſtris infans palam ei fatus pronunciaret in diuinis lancibus ſcelera ſupplicijs æquata. Audijt, redijt, reptauit, longiſſima paſſione inuictus. Scilicet trita ei veſtis, callum nudus obduxit; defecit pabulum, herbam morſu decerpebat; collo iubam toris fibras, totus pilos emiſit, quadrupes, hirtus, nihil hominis niſi nomen.

Ne autem ego Comitem incomitatum relinquam; quum ei mora ipſa & numerus anno-

rum orbitatis sēsum ademissent repetiuit ludos, & venatione relaxatus Montem Serratum canibus & satellitio lustrauit. Horum aliquis sciscitanti Comiti de præda, retulit visam sibi in montis crepidine feram specie exoticam, & dignam ipsius nota. Comes nouitate lætus ipsum pluribus auctum iussit repetere montem, feram vestigare. Factum; vestigatus & prehensus Ioannes, iussus est in stabulo ciendę admirationi mōstrum seruari. Tum autem cis aliquot dies Godefredus natalitium epulum celebrauit, quod filium ante aliquot mēses susce-pisset. Quumque conuiuæ esu defuncti spectaculis vacarent, edixit ille vt sisteretur coram monstrum illud dudum iam venantibus prehensum. Adductus Ioannes, primum ludibrio, tum verò religioni fuit quum in frequentissimo cœtu trimensis pupus clamauit; Surge frater

ter Ioannes Guariné, Deus enim remisit tibi peccata. Huc vos volo perduelles numinis, & tamen delicati. Vos grauissimo æri obnoxij, teruntio reddendo imparati. Vt vobis reddendum chirographum expectatis, qui nihil fisco infertis? Ille olim tot stipendijs cōtinuò diues, semel tantum lubricante carne prolapsus (cædem enim tentauit duntaxat nō impleuit) veniam carissimè venalem non prius adipisci potuit quam septenni supplicio se addixisset, vsque etiam exuuias humanitatis; tunc primum oraculo diuino doctus se vicem in pœnis reddidisse. Nos interim comatuli & nitida cute luxum & cædem sorbemus, tam interim securi ac si retroacta peccata nouis redimerentur. Sane si tortoribus ius, Deo iustitia constet, immane nos manet fœnus tormentorum, quod extinguere

sustinendo vix possumus, reddendo neuix quidem.

Non tamen despondete animos (AA,) neque repudium Speià me discite qui proinde hodie hæc rostra premo vt fatiscentem ipsam trabalibus fulcris confirmem. Vidit fragile nostrum qui fecit, nouit figmẽtum nostrũ figulus, faber opus; scit Deus se olim osi carnem substituisse quum originis gratiam ingratis nobis, concupiscentiæ habenas permisit. Apprimè intelligit ille & dolet nos plumeos ad culpam, plumbeos ad pœnitentiam, & vel inde prouidit, vt vbi industria nostra desinit, ibi pietas eius prosequeretur. Aperiam me: fecit virtuti Sacramentum succedere, quod accepit nomen pœnitentiæ non quasi exhibeat eam, sed quia supplet. Debemus Deo tanquam Cæsari censum, tanquam creditori fœnera-

ratum: ſed ille in creditore Cæſarem agens, in Cæſare Auguſtum, indicibili liberalitate voluit oneribus noſtris ex fiſco ſuo ſatisfactum, & in numeratis ſua admittens ſuſtinet alienam fidem ſua largitate redimi; ſiue, videri noſtra merita quæ ipſius ſunt dona. Stupor, ectaſis, & admiratio vbi eſtis? quando, & cur deſeritis oratorem ſua materia oppreſſum? Tantum eſt quod dixi, vt concipere ſolus poßit qui dedit, credere qui accipit, æſtimare denique qui experitur. Vt æternæ pœnæ reus nihil minus timeat quàm æternitatem, & quum hic ſe obſonijs voluptatum impleuit, ſed niſi fortuna ei Sacramentũ inuideat, pœnè impunè peccarit. Tam baſilice Deus diſpenſat ærarium ſuum, tam exacte ius indulgentiæ maritat, vt ſeueritati non detrahat quod miſericordiæ impendit. Miſcet ex ſuo aliquid, & ſinit cenſerialie-

nunι, Zeleuco similis quem priusquam in hanc scenam inducam præmissum volo, Synagogam olim mancipio addictam Deo; Ecclesiam adoptione: quod est, illius alumnos famulorum numerum impleuisse, Christianos filiorum: à quibus ad Zeleucum regressus, dico quod apud Valerium legetis, hunc scilicet quum Athenis imperasset, seuerissimum ius dixisse in eos, quos constaret honestatis lineam transgressos. Edixit enim vt adulteri vtroq; oculo luerent intemperiem. Factum est autem vt ipsius Zeleuci princeps filius libidinibus ardens etiam adulterij postularetur; nec quidquam: discussa causa, conuictus ille est, quem quum pater damnare oculis nollet, minus autem in pœnis dissimulare, edixit vnum oculum filio, alterum sibi erui. Hic enim si mutemus nomina stratagemma Christi, Sacramentum

tum pœnitentiæ expressum est. Nempe Dominus Christus conscius impatientiæ nostræ & tamen prauitatis, ne quando pœnæ census toto pondere nos grauaret, primas huius sibi assumpsit, passus nos parte mulctari. In hoc enim Areopago Pœnitentiæ plus est quod impenditur reo, quam quod extorquetur. Capital (quod aiunt) Christus extinguit, nos cum reliquijs luctamur, quum tamen Hebræus quisque totum in solidum pendere debuerit, oculo oculum denti dentem, adulterio etiam vitam, grauissima talione pœnarum. Sed interest, quod illi seruierunt, nos amamur: ibi Zeleucus in vulgum incidit, hic in filios.

Qua occasione facile ni fallor intimabo vobis optatam plerisque causam illius vsus, quo Dominus Christus legifer Sacramentum hoc cœptum esse voluit & porro durare: Au-

dite Ioannem. [Insufflauit & dixit eis:] Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur.] quorsum enim sufflamen? quo halitus? cur aura? eo vtique vt intelligeretur, beneficio huius Sacramenti ignem extingui: nam & nos lychnorum flammas flatu sopimus, quem qui valenter excludere posset, nulla pyra est cui non imperaret. Ergo hoc symbolo ignem euadimus, & nocere reis vetamus, raro Dei beneficio, summa hominum admiratione, quando fide credimus, vtilitate experimur leuissimo sibilo, quadrisyllabo verbo absoluētis, Gehennæ vortices septies septimatos eludi. Et vero quam molle iudicium? quam illex & rapax iudicandorum illud, in quo, testimonio rei de se ipso creditur, nec grauari quis potest nisi pro libitu patientis. Quam amabile tribunal in quo omnes absoluuntur.

tur. Alibi iudiciorum confessio sceleris inclinatio ceruicis est, vt nihil iam nisi ictus sententiæ expectetur. Hic secus: si excusas te damnaberis, si dānaueris, excusaris. Et tamen in tot illecebris mansuetudinis miscet apium seueritatis: num enim nimis blandum videtur, quod, quia quis in alium peccauerit, debeat in semetipsum peccare sui proditor, vt abstrusissimas latebras animi in alieno sinu deponat? An nihil agere videtur, ac non magis Naturæ ipsi refragari qui statuit aduersum se ipsum non modo testem agere sed porro etiam tortorem? qui promptus ac paratus est prouocare iudicem, agere carnificem, nec tantum satisfacere alteri, sed à se satis pati.

Adeo mihi videtur (nec nequidquam, credo) Sacramentū hoc tot partibus quasi fidibus compactum, citharæ melos, &

ſyſtema muſicum referre. Ita in ipſo audire eſt ſonos alios alioſque, hunc grauem; illum acutum, hic triſtem, ibi lætum; & nunc Doricum, alibi Ionicum excitari. Graue enim eſt (nam quis neget.) occultiſsima pectoris, quum pudenda ſunt, explicare; Acutũ & amœnum ab omnibus abſolui; Triſte eſt de ſceleribus triſtari; lætum à morte reduci. Doricum ſonare videtur quod quis intrò doleat, extra mulctetur; ſua ſe manu feriat, lingua accuſet. Ionicum & molle melos eſt ac plenum lenocinio quod quiſpiã fide credat, aure etiam excipiat ſe non ita pridem tot maculis Pardum, tot vinculis captiuum, quaſi cylindrum peccatorum funiculis ſpiroſum, extemplo & raptim ſeruitute emãcipatum, mancipio expunctum, formæ & fortunæ reſtitutum.

Ego in hoc gratiarum Oceano admirationis anchora defixus,

xus, pugillares tergere, dictionem truncare deberem, nisi memor eius quod proximè recensui de Barcinonensibus conuiuis, iudicassem aurium vestrarum palato tanquam ventriculo lenta oratione lacessito exoticum quid monstro simile propinandum. Et ecce habetis in hoc ipso loco venale: nempe nouatores, hoc est quinti Euangelij præcones, remedijs suis infensi cataplasma hoc post homines natos vtillimum ita suo genio recuderunt, vt quomodo olim Gentes idola pro Dijs, ita isti pro Pœnitentia simulachrũ eius adorent. Chamæleonti liberum est de corio suo ludere, his de diuinis institutis. Ecce enim vt insaniant: Luther Pœnitentiam non aliud esse docet quam Baptismum memoria ruminatum; Caluino ad stomachum facit vt sit (quid putatis?) annunciatio Euangelij. Vterque autem in id conuene-

runt, quod minister Sacramenti & legitimus iudex sit quilibet ex fæce & colluuie plebis, nullis fascibus magistratus insignis, nulla Ordinis dignitate prelatus: à quibus si quęras quid Contritio, sit illa princeps pars totius quod præparat hominem sanctitati? Respondent hæ furiæ septies furiosæ, eam, vt hic aliquid iuuet, nescias quem terræ motum esse, siue perturbati animi conuulsionem, quo tanquam carnifice Deus taminatam animam cedit. Quid enim vobis videntur ista, theses an phręneses? Sanè si illi theologiæ suæ tyrocinium apud Mænades posuissent, si studuissent & sudassent errare non facile poterant operam ſęlicius locasse. Nempe si dolor, illa animi palinodia, terror tantùm ac flagellũ est, iam ego exprimere eum non possum sed pati. At vero passio tam abest à merito, terror ab Euangelio, vt qui eum

in

in apparatu iustitiæ numeret non aliud moliatur quam implexa præcipere & Mosaycam ferulam ceruicibus nostris vibrare. Et, vt demus reum tanquam incudem tundi, cuius erit denique eum legitimo ictu ferire? Si quisque magistratus est, vbi populus? vbi scapulæ & thorax, lumbi, poplites, & pedes, quando quisque huic corpori est caput? Nunquid omnes Apostoli, an singuli Prophetæ? Errauit Areopago Dionysius quum Ecclesiæ suæ archiam docuit, Paulus quum exercuit, Christus qui instituit. Expungenda sunt Biblijs Euangelia, Sacramentis Ordo, Virtutibus obedire; & Ecclesia non modò Synagogæ cedet, sed cuius etiam ludi magistello, quē certum est nequaquam à pueris vapulare. Tam palmaris demētia, & prostitutæ religionis iniuria non rationum formulis impetenda esset, sed cachinno,

aut

aut rectius profluuio lachrymarum ad clepsydram doloris prosequenda.

Super-tantum-est, vt quoniam illi nos veritate instructos stupet tanquam peregrino idiomate loquentes, nec nos corrigere illos possumus nisi conueniamus, saltem ipsi in eodem vestigio durantes fælicitatem nostram eorum pernicie æstimemus. Sciamus iam olim nauem innocentiæ omnibus naufragasse, ac proinde fidem huius tabulæ implorandam. Doleamus tabernaculum Dei primo niueis amictum, sanguinem & ruborem iræ induisse, adeoque hic hærendum esse: nam si quo minus; huic minio proximam picem esse, hoc est neglectæ pœnitentiæ mortem nunquam deinde morituram. Ac denique hoc tam amabile tribunal, tam dignum auctoris mansuetudine, supplicis fragilitate repeti posse nõ rarius quam

causas;

causas ; & nec numerum in vitibus admittere, nec in clemētia modum ; nec æquitati denique detrahere ignoscendo;sed ex aduerso misericordia diues esse, mansuetudine pellax ; veniæ pronum, damnationi ineptum, audax erepta reddere, solers redditis fœnerari. Cuius ego vt speciem aliquam optantibus vobis exponam

ABSOLVO VOS onere audiendi.



PRO.

PROLVSIO

Vndecima.

De Sacrosanƈta Eucharistia.

INdies recurrit approbandus eorum ſenſus, qui, velut Agraria lege, aut Punica byrſa Oratores obieƈtis definiunt, materias Oratoribus aſſignant. Tytiro Epicum meditanti Apollo aurem vellicauit ad Bucolica reduƈto: & ſcitiſsimè Apelles ſutorem quaſi hederam aliquam à crepidis ad caligas cenſura aſpirantem, calceamentis ſuis ſupploſit. Acuenda eſt diƈtio, & tanquam veſtis corpori parianda, vt quum exoticum aliquod, & inſolens præ-

di-

dicandum occurrit, extra hanc continentem migrandum aliquando sit, & monstra Oratorum in alio Orbe quærenda. Legimus in fide auctorum, Diodori præsertim, in insula quadam ad Austrum, homines natura bilingues, vt duæ singulis linceæ ex vna radice protuberent. Vnde & factum, vt quisque diuersarum auium cantus posit vna imitari: item cum duobus hominibus sic dialogos miscere, vt quum vni respondet, alteri moueat ipse quæstiones. Horum aliquis accersendus erat hodierno argumento, inquo omnia exotica, singula dupla, choro aliquo Oratorum non vnius monotonio extollenda. Nempe sacra tessera quam hodiernis laudibus celebramus, ita Sacramentum est vt sit etiam Sacrificium; sic Sacrificium vt in duo diuidatur. Teri dentibus potest, & proinde edi; allabi gutturi, atque

ita

ita bibi; solidum & liquor, conuiuium bilance integrauit. Duo vela quasi bifores valuæ: naturæ hic duæ sunt; persona etsi vna, sed quo aliquid ad dualitatem faciat, est fæcunda. Vt ego interim bilinguis debeam loqui, & quum de humanitate respondeo, possim de Deitate doceri: quum vnius speciei necessitatem definio, de alterius vtilitate disputare. Quamquã nec bilinguis ego, sed biceps, aut bicors esse debeam & toties in me redundare; oculis Argus, manibus Cyclops, exercitus Oratorum, quo ita hoc argumentum intonare possim, in quo difficultates omnes artium, artificia difficultatum, tanquã in Syracusiam Sphæram, & microcosmum quendam coiuerunt. An non enim hic Grammatica Verbum suum audit, Rhetorica ornatum eius, Logica emphasim; Physica humanitatis legmenta colligit, Fides di-

diuinitatis integritatem credit, ne alias addam non oratione, sed admiratione hic occupatas, vbi Mathematicus molem desiderat, Geometer pondus, Iureconsultus impunitatem, Medicus pulsum omnem & momenta arteriarum. Ita huc omnes in chorum cogere, chorum huic aulæ inferri oporteret, parte vocalem, alia tacitam ac defixam ad tentamentum aliquod mysteriorum nõ dico pompam vllam aut maiestatem. Sed quoniam ipse Christus lacerna hac edulij obductus, habitu ipso sibi humilitatem, nobis silentium indicit, tanquam Harpocrates decussatis labris, obsequar imperanti, atque orationis leuidensa obducam rem huius signi; ideſt, humanitatem in duo, charitatem in omnes diuisam.

Nempe quum cõſciret Christus efferatam rabiem Iudæorũ palam & per cuniculos capiti

suo

suo imminere: sed & signo dato in prædam agminari, ne totus in hostium potestatem veniret, ingenio suo tot operũ fœcundo vnum eruit, quo & ipsorum feritati subesse posset, & nihilominus amicorum familiaritati reseruari. Scilicet se ipsum suis reliquit, etiam quum abscederet, etiam quum iam funus efferretur, vt simul & perduellium temeritatem experiri posset, & interim deuotorum charitate frueretur. Accipite & comedite (inquit) hoc est corpus meum: ecce ipsum in deposito & testamento discipulis erogatum, vt palam fit Iudæos ius omne præuaricatos, qui ea rapere & sortiri ausi sunt, quæ ad alios pertinebant. Sed ne quæso cogatis me orationem meam, auditum vestrum inquinare horum nebulonum commemoratione, quum proximè habeam materiam dignã auribus, gratam animis vestris, re-

recordatione vtilem, sequela exprimendam; stratagemma Dei, qui quum statuisset quod aiunt extra se ferri & in donis suis numerari, hominem sibi desponsauit arctissimè, in hypostasim suam assumptum. Quum autem neque eminentia beneficij multorum consortium admitteret, neque ipsius beneficentia vno aliquo esset contenta, rem sapientiæ decidendam commisit, quæ vt erat ad diuinitatis celebritatem ingeniosa, nec minus ad nostram vtilitatem prona, ita his scopulis intercessit, vt Deus neque vni vniretur, neque omnes in illum Triumuirum Senatum adoptaret. Scilicet pinsuit se in cibum, liquefecit in haustum; ibi carnem, hic sanguinem suum intimo traiectu ad viscera nostra dimittens, vt quisque vnus cõsanguineus eius, & alumnus sit, supra nuptias nobilitatus, omnes Christo similes, etsi non

pa.

pares: Ecce enim Dei Verbum Christi carnem assumpsit, nos Christum, quum quidquid edimus in substantiam nostram vertamus? Quid hic Deo ad votum, nobis ad nobilitatem deest, quando ille neque aliquid se ipso minus dedit, neque paucioribus quàm cunctis, neque segnius quàm vt cuique in viscus & exta transiret. O ò ò; quid? nescio: nescio hoc stratagemma admiratione, beneficium gratitudine complecti. Addam tamen adhuc vt eo minus desit inuentis quo plura dicendo enumerantur. Vidit ille hos lupos sitire sanguinem suũ vt cæteroqui nullis cataractis possent restingui, (quid enim optaret crudelitas nisi cruorẽ?) & quoniam futurum eum nouerat omnium saluti, noluit tàm salutare pharmacum ab affectis & morbidis temperari. Voluit prior ipse tam medicas venas secare, nec enim par erat

vt

vt qui virtutes ipſas anteuerte-rat, in certamine pietatis à ſce-leſtiſsimis his furijs præueniretur. Quin imò hoc ipſe tam calide concupiuit ne ſemel tantum fieret quod inimici minabantur; vt ſanguis ille pluries funderetur, nec ſummè tantùm, ſed ſæpe prodeſſet: vt hoſtia cædi ſuæ ſupereſſet toties repetenda ad veniam, quoties humana nequitas ad culpam doctiſsima rediret. Vbi es Amor ſi hic non ardes, vbi gratitudo quæ hic non reciprocaris?

Et quoniam in eruendis huius conſilij ſtirpibus induſtriam meam videor hucuſque vobis probaſſe, huic tripodi vltimum adnectam eò magis ad palati veſtri lenocinium, quo ipſum videbitis apud alium principem magno applauſu elatum. Fuit autem (ſi memini) Antigonus qui quum cæculus eſſet altero lumine orbus, nec palpebris aut pupilla præditus, niſi affectis, ad

ad horrorem & nauſeam ſpectādis. Accerſiuit ergo Apellem ſuum, mandans ſe in tabulam transferri quam accurate penniculus poſſet. Dictum, factum à pictore. Expreſsit eum qua is, quantus erat; & quia imago autographum imitata eſt, orbitatem oculi deformiter præferebat. Vidit rex & abiurauit cũ opere authorem, qui non contentus naturæ malignitate, ad contumeliam eius artem adhibuiſſet. Quid ergo? alius accerſitus eſt, qui quoniam acceperat priorem regi improbatum quod ei vitioſum oculum appinxiſſet, ipſe totus trans orbitam exultans, par luminum ei graphicè affinxit ſucculentum, & coloribus ſuis ridens. Vidit rex, & improbauit etiam iſtam, negans ſe illa expreſſum, ſed alium, cui vterque oculus affulgeret. Ergo accerſitus etiam tertius eſt, qui vtriſque intercedens regis vultũ mediotenus

ex-

expressit, tanquam oblique, visum, vt circumstantium intuitus ibi desineret vbi vitium oculi inciperet prodi. Hanc enimuero Rex pronuntiauit se dignam, & opifici palmam dedit, quod sciret deforme obiectum ostendere sine deformitate. Ita ille, ita ego, aut potius ille rex nō regnorum tantum sed regum Deus, qui quum libentissimè hoc lytro, id est, Christi agone pasceretur, voluit eum sibi alijs coloribus, noua tela explicari. Nempe, illum in se gestum nescio quæ parerga fuscabant, vt obiectum alias gratissimum amans ipse auersaretur. Aderant ei etenim inuidia Pontificum, feritas tortorum, &, quod amplius horrendum stridet, perfidia discipuli indisciplinati: quæ colluuies errorum vtique id agebant vt radius diuinæ visionis quum, in autographum incideret tanquam articulus rosam decer-

ad horrorem & nauseam spectã-
dis. Accersiuit ergo Apellem
suum, mandans se in tabulam
transferri quam accurate pen-
niculus posset. Dictum, factum
à pictore. Expressit eum qua is,
quantus erat; & quia imago au-
tographum imitata est, orbita-
tem oculi deformiter præfere-
bat. Vidit rex & abiurauit cũ
opere authorem, qui non con-
tentus naturæ malignitate, ad
contumeliam eius artem adhi-
buisset. Quid ergo? alius ac-
cersitus est, qui quoniam acce-
perat priorem regi improbatum
quod ei vitiosum oculum ap-
pinxisset, ipse totus trans orbi-
tam exultans, par luminum ei
graphicè affinxit succulentum,
& coloribus suis ridens. Vidit
rex, & improbauit etiam istam,
negans se illa expressum, sed
alium, cui vterque oculus af-
fulgeret. Ergo accersitus etiam
tertius est, qui vtrisque inter-
cedens regis vultũ mediotenus
ex-

expreſſit, tanquam obliquè viſum, vt circumſtantium intuitus ibi deſineret vbi vitium oculi inciperet prodi. Hanc enimuero Rex pronuntiauit ſe dignam, & opifici palmam dedit, quod ſciret deforme obiectum oſtendere ſine deformitate. Ita ille, ita ego, aut potius ille rex nō regnorum tantum ſed regum Deus, qui quum libentiſſimè hoc lytro, id eſt, Chriſti agone paſceretur, voluit eum ſibi alijs coloribus, noua tela explicari. Nempè illum in ſe geſtum neſcio quæ parerga fuſcabant, vt obiectum alias gratiſſimum amans ipſe auerſaretur. Aderant ei etenim inuidia Pontificum, feritas tortorum, &, quod amplius horrendum ſtridet, perfidia diſcipuli indiſciplinati: quæ colluuies errorum vtique id agebant vt radius diuinæ viſionis quùm in autographum incideret tanquam articulus roſam decer-

pens spina punctus resiliret: ac proinde ipsi prouidit (quod dixi) nouam tabulam, alios colores, Eucharistiæ symbolum, in quo obiectũ cæteroqui horrendum sine horrore videretur; nec enim eo inferre se potuit ingratia discipuli, crepitus virgarum. Hucusque licuit liuori Pontificum, immanitati tortorum, vt in præda comprehenderent illam carnem quæ sensum subire potuit, proinde iniurijs obiecta. At verò in lamina Eucharistiæ vbi litri pretium sine pondere redit; nec funibus apprehẽdi potest Christus, sed fide; hic inquam illa nullam vmbram ducere potuit qua amœnitas illa caligaret.

Et quid magni est quod hic apparatus ensi adhibitus qui in vagina quærebatur? quis vnquã plus thecæ quam thesauro cauit? An credemus Deum ex eorum vulgo esse, qui de calceo solliciti, de pede nihil curant,

rant,

rant, & ille tamen de calceo curaret, plus thecæ quam thesauro prouideret, ac denique de vagina anxius ensem rubigini permitteret, nisi à toto pomerio huius Sacramenti omnis vitij omnem suspicionem profligaret. Audi enim quid mandauerit de typico Phasi, quod Eucharistiæ nostræ loco, tempore, vsu, quasi vagina ensi, vmbra corpori respondebat [Erit (inquit) agnus anniculus, masculus, sine macula: non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua;] nam quum in ætate agni circulus anni absoluitur, procul dubio perfectionis numeri omnes accersuntur. Quum fœmina excluditur, non modo vulnera, aut hiatus, sed fragilitas ipsa profligatur, vt liquido clarius sit, eum qui hoc schemate in scenam infertur non solum conscientia sceleris, sed & fomite ipso & periculo omni abfuisse.

Et quidem hucusque expedito tramite Euangelium Legi, ideſt, Euchariſtiam Phaſi applicaui ad normas & amuſſes: ſed quod ænigma ſequitur, illud enimuero Delio natatore eget, non proditurum niſi eruatur, vt periculum ſit ne inter vncos rationum in tumultu ipſo dirumpatur. Audi enim interdictum [non comedetis ex eo crudum quid]. Scilicet adhoc opus erat tam imperioſo edicto: ederent fortè, niſi inhiberentur? Quis tam proiecte feralis, vt cruda animalia voret, aut ſegmenta illa cadauerum in delicijs habeat inferenda ſtomacho, quæ nec oculo dignatur? credo equidem nullus: quod etiam ante me Cyrillus credidit, credidit Oleaſter, & auctor Gloſſæ, qui quum cruditatem hanc non poſſet ingenij calore concoquere ab hiſtoria ad myſterium prouocauit. Illum ego vt ſequar (quid ni enim ſequar

sequar sapientia præuium, ætate anteriorem) aio hic idipsum repeti quod supra cautum est, vtrobiq; nō aliud dici,sed aliter: siue nouo symbolo præferri huius Sacrosancti Sacramenti immunitatem ab omnibus singulisq;quæ cuiusq;animum,aut ipsius oculi sensum horrore vllo percellant. An ne etiam cruditas tam religiosè hinc arcetur ne quid tresse, aut vile hic cogites, quin obiecto superbus ascendas vbique alto altius: ita enim aqua labitur, ignis aspirat, ac proinde legitimè iubemur non comedere ex eo coctum aqua, sed assum igni. An hic etiam anticipato risu castigatur pinguis Minerua, & planè animalis eorum, qui à Sapientia compitatim inuitati ad mensām, detrectarunt epulum, in quo carnes humanæ adeoque crudæ summa inhumanitate ederentur? Resipiscite insensati, & redite, nec terreami-

ni hoc ferculo, *non comedetis ex eo crudum quid*. Ne insultate Gentes, nihil hic tresse, aut deciduum, omnia elata, ac diuina; materiam è terra, impetum ad cælos habent. Caro hæc assanda est volumine flammarum, quas nostis nihil æquè ac humilitatem loci auersari.

Et quoniam me hodie voluistis esse huius ferculi carpum, eas incisuras eius moliar vt etiã anteambula ipsius, tempus scilicet, & locum roraria velitatione auribus, etiam oculis vestris apponam. Non enim aberit vllis (quin abundabit) pruritus, quorsum ille opifex horũ, fabrefactor Sacramentorum Christus optimus, maximusq; tam salutaria hæc tam sera esse voluit? quorsum à cœtu hominum consilij solitudine discessit, vt tam emphaticum vinum supremum esse voluerit, quum alias ipsa liquidi natura fæces ad fundũm destinarit? Horum

acu-

acumini dicam an importunitati expedite dicendum eſt, & faciendum ſatis, monendo eos vt meminerint hoc epulum cœnam Domini eſſe, ac proinde ad veſperam non diei tantũ, ſed vitæ eius inſtruendam. Cœnam eſſe ac proinde proximè ante ſomnum mortis ſumendã. Oſculum duorum eſſe, adeoq; abſceſſui vnius reſeruatum. Teſtamento denique conſtare; & vel inde in agone, certe autem in limine eius condendum.

Quamquam quid hic aggregamus rationes prorogandi eius, aut excuſamus illius tarditatem quod citius productum obrueret potius ſtomachum quam oblectaret. Nempe quod hic traditur, accipientes iam habebant: huc vſque hominibus Verbum caro factum loquebatur; ſubibat ſenſus, integrabat turbas, vt omninò prodigè toties in eodem theatro videre-

tur. Dedit ergo se ne deesset, cæteroqui defuturus. In transitu sisti voluit, & quasi per laciniam vestis apprehendi vt [fimbriæ eius aureæ,] hoc est, vltima optima essent; vt hoc capitis vnguentum, hæc ambrosia humanitatis eius nequaquam in ipso vertice, ne quidem in barba stagnaret, quin lubrico defluxu ad oram vestimenti eius, hoc est vitæ periodum, & Colophonem vltimam redundaret. Ita est (AA) nihil hic temerè, omnia consilio digesta sunt, lancibus, & stateris librata. In quo equidem nihil offendiculi video, nisi quod hoc Sacramentum diuinæ humanitatis sic succedere debuerit rudi symbolo, asso cadaueri Iudæorum, quod quidem ego neque dicere ausim si vellem, neque credere possem si dixissem; quin errare me optarem, & mirari fateor non solum illius primatum, sed vtriusq; etiam

so-

ſocietatem: cur in eadem menſa vterque agnus videtur, & nō magis Iudaicum Paſcha Chriſtiano locum ceſſerit? Sed fuit hoc etiam eo authore dignum, dignitati eius oportunum, quod ego quidem protinus ratione conficere poſſem, niſi ad cætera properanti luberet mihi paradigmate potius explicare. Noſtis enim Apellium noſtrorum ſtratagemma, qui ad extorquēdam aduerſantibus prædam, aduerſitate ipſa fruuntur: vt explicent res, obducunt; lucem ab vmbris mutuantur. Nempe fac eos niues in tabula moliri; prope atramentum ſpargent, vt vicinia nigroris candor ille amplius quaſi irritatus excandeſcat. Ita Dominus, vt Sacramenti emphaſim fortius peroraret, in eadem menſa paſchalem Agnum, hoc eſt vmbram illius applicauit.

In quo equidem videri poſſem receſſum miraculorum

eius incæpisse. Nam, quid carius admirationem emere potest, quum vt lux vmbræ consistat, vmbra suum corpus præcedat, & quum implentur vacua stipulationum adhuc superesse illis cauitates. At enim timeo ne lentius quām gratè in atrio & peristyllijs argumēti vagatus princeps obiectum eo labore destituerim quo prosequi inprimis deberem aperiendo quid est, enunciando quale, disparatione partium, deffinitione totius, atque alijs quæ equidem statui circumferre per decuriam classium, in quibus scholastico lustro tota Naturæ suppellex continetur. Ergo quid esse illud dicam, quod dicitur Eucharistia? Si Sacramentum respondero collimaui; Sacrificium affirmauero, non mentiar; si elegero Testamentū, sapiam, conuiuium asseruero, absolui. Si comædiam, aut magis tragicum acroama, ex-

pe-

pediui, non aliter vllibi impingens, nisi quia in singulis cætera prætermisi, quanquam alioqui prætermittenda. Neque enim Eucharistia horum aliquo constat, sed vniuersis, vt singula illa non plura simulachra sint, sed vnius membra, quæ proinde ego non nisi anceps, & formidine erroris vibratus, ausim illi intonare. Explico me, vt absoluam: Dicerem Eucharistiam è numero signorum esse, nisi viderem eam sua re plenam. Concederem esse Sacrificium, si crederem victimam mori. Dicerem epulum, nisi viderem à ieiunis sumi; ac deniq; facilè assentirer asserenti eã tragædię speciem habere, nisi haberet esse incruentam. Detur hoc diuinis, ne semel à nobis exprimi possint, vt nostræ voces elementa illis sint, ex quibus vnum aliquod nomen coalescat: pigmenta sint, quorũ numerus requiritur vt ima-

ginem absoluant. Quanquam quid quærimus, aut expectamus notitiam rei ab eo signo cuius vsus & fructus est rem cæteroqui apertam siparío obducto vmbrare. est autem hoc Eucharistiæ, & cuiusuis symboli rei suæ circumducti. Deum olim sedentario throno magnificè exceptum par Seraphim sexies alatum tanquam peripatesmata obnubebant, [duabus velabant caput eius, & duabus velabant pedes eius,] Quid dignius maiestate Dei, quid oportunius mysterio? Ego sanè hic non tam historiam intelligo quam vaticinium, vt propheta prædixerit, Deus exhibuerit futura. Scilicet in apparatu illo throni tentamentum aliquod, & graphidem Eucharistiæ, siue eorum quæ vocamus Species, intelligimus Accidentia: tanquam versa pagina, inuerso tẽpore legeremus, Duabus velabunt faciem & caput ejus, duabus

bus velabunt pedes eius; hoc eſt (vt interpretem agamus) Ambo illa diuinitatem, ambo humanitatem eius abſcondent. Sic continebunt ea vt velent, ita velabunt vt contineant, nec deeſſe alterum, ſed ſubeſſe vtrumque ſignificent, & verò etiam præſtent. Quotuſquiſq; enim diuinitatem in homine, hominem in pane expectaret? & tamen in Euchariſtia non expectanda nobis ſunt, ſed adoranda. Flammeum capiti eius obducunt, tapete pedi, vt non modo altitudinem eius ſupra nos eſſe nouerimus, ſed ipſam eius profundiſſimam humilitatem. Scilicet apud eundem Iſaiam in cruce [Deus abſconditus] erat, hic etiam homo, deſperandus oculis, amplectendus fide, etiam etiamque charitate. Quæ enim illecebra amoris non ſaturum eſſe ſemel impendi amicis, niſi etiam eo impetus, eò impotentiæ proce-

cederet, vt sibi semel natus, nobis sæpe moreretur. An non enim moritur qui sanguinem omnem vomit, num potest corpus animatum esse, & exangue, & hic tamen sanguis suo alueo exulat, venæ à profluuio suo diuiduntur romphæa illa verborum, quæ nescias qua anatomia diuortium charissimorum attentant. Nihil vlli vicinius sua cute; sed hic illa excutitur; nihil carni charius succo suo & sanguine, sed hic exucca caro est, & inhospitus quodammodo sanguis venis suis quadantenus peregrinatur. Equidem (AA) fateor satiscere mihi animum nec sufficere admirationi cogitátem quæ acies tot ictibus, quanti ictus tot hostijs sufficiant. Olim oratio illa, (illa inquam verba, quæ absoluunt consecrationem) vnius ore expressa quum fidem suam rerum exhibitione redimerent, deinceps sibi paria neque he-

be-

betata hostijs, neque antiquata seculis, idipsum semper repetunt quum repetuntur, reciproca vsura veritatis; quia & verba veritate sua res accersunt, & aduocatæ res veritatem verbis fœnerantur; vt definire nisi indefinite non possim, vtra alteram anteuertat, quæ anteriori succedat; atque ipsa Incarnatio, hoc est, fastigium portentorum iam denique raritatem vsu amiserit, quum quotidie asserentis Sacerdotis verba caro fiant, verba sanguis, emphatica illa & cruente incruenta.

Quin si quid summo æquari possit, & nisi pudefieret quodnis suo principio cui obnoxium est certare, non temere censeas Sacerdotis sententiam fortius ad euentum hic velificare quouis incarnati verbi authore, matre Virgine, Deo Patre. Nempe Virgo ogdoade verborum quasi circuitu vsa est, quũ Christum conciperet; Sacer-

dos

dos hic quaternione tanquam compendio. Deus, agendo hoc mysterium molitus est, Sacerdos duntaxat loquendo; vt videatur huius opera nulli verius pariari quam eidem æterno Patri, quum ipsum hoc Verbum dicendo genuit, & gignendo pronunciauit. Et quid eò imperiosius qui asserendo agit; cui non ministri sed obiecta ipsa famulantur, supellectile verborum actuoso. Fateor olim Deus Mundi fabricam loquutus tantum est: sed fatere tu quoque quod imperauit, potentia vsus, non tantum veritate. Hic, Eucharistiæ opifex non iubet, & tamen facit; historiam texit, & personas producit veritate pro viribus vsus.

Audite (AA) Sacerdos triuerbium aliquod secum sibilat, vix visus loqui, & eum tamen in cælo audit, certe autem obaudit Christus, & actutum ei sistitur magnete verborum at-

trac-

tractus. Deum immortalem! Quantum est quod dixi: aut enim vocatus Christus vastum illud interuallum iustis itineribus remetitur, aut in extremū salit medium præteruectus; & quum prius illud sit maximum sed alterum hoc est maius. Prior pernicitas tanta quam ne cogitationum passibus assequi possumus, ne dum pedum: sed adhuc secunda superat, vtpote cui non pondus, sed quadantenus ratio ipsa renititur, proinde desperanda ferè, quum nec omnipotentia impotentiæ obsistat. Et tamen huic voci illa Echo respondet; lentius hic sonus aurem, sensus intellectum pulsat quam rerum substantiæ sistantur superata interualli vastitate, dissimulato medij interiectu, & (quod percellit magis) [obediente Deo voci hominis.] Sed ego, vt video, blandiente materia abreptus scenam mutaui, certè fabulam aut argu-

men-

mentum, qui acroama hoc qualequale Sacramento destinatū Sacerdoti impendo. At enim venialis error vbi est rerum sympathia; non inuidet Sacramentum Sacerdoti, sed fœneretur: & quanquam credamus hic nihil minus maximo esse, tamen (vt parenthesin absoluam) ausim dicere, hoc quod omnibus præstat, illi subesse, nam quis vnquam victimam Sacerdoti æquauit? alioquin iste perimendus, victimæ parcendum foret. Erit fortasse quum hæc lemmata Pontificiæ infulæ intonabo, nunc ne vadimonium deseram, id stet certum sartumque omnem dignitatum appendicem ab hoc capite oriundam, totam pompā titulorū huic signo obnoxiam, illam quanta est in Sacerdotibus authoritatis reuerentia, vis potestatis, magistratus Dictatura, id omne non nisi flexu quodam & repercussu obuenisse

ſe eis ab hoc medio & tamen principe Sacramentorum quod ego, in eo qui ſupereſt durante orationis vt æſt mare doceã admiratione interim cõpellabo.

Nempe dicam hic quod ſentio (quamquam ſentire plus cogar quam dicere,) Deus ille optimus idemque maximus, nec niſi maturimo conſilio ſolitus Naturæ præiudicare, in hoc Sacramento prodegiſſe prodigia videtur, & exhauſiſſe ærarium ſuum tam auguſto apparu, non habita portentorum ratione, habita prodigalitatis: quod ne quando numerum portentorum augeat, iam latè vaſtum, ſtatui aliquid cauſſæ eius in anteceſſum vobis explicare. Scitis autem quia principes non æque vbique ornantur; domi ſuæ imperium, alienę pompam habent, qui proinde ſumptibus tunc maxime indulgent ſi quando extra peregrinantur. Sic Deus vbique domi-

minus, ſed in cælo domeſticus eſt, in quo proinde non eget miraculis ad maieſtatem. Ad nos autem quaſi peregre profectus, cinxit ſe ſuperbo ſatellitio, & quaſi externi Orbis amictu notabilis, totam Naturæ fidem arbitrio ſuo irritauit. Darius in Perſide, rege dignus erat; vbi caſtra mouit ſupra hominem auguſtus, quando occurſurus Alexandro: ac ſi dicamus Chriſtum in cælo omnipotentiæ poſſeſſionem habere, in Euchariſtia exercitium, vbi Naturam toties profligatam in triumpho duxit.

Nempe illa toties hic vim patitur quot poteſt, per decadē Prædicamentorum quaſi per ſcalæ gradus præcipitata. In primis enim *Subſtantiam* ſuam primogenitam & principem in prole dolet hic ademptam, & quaſi in antiquum Chaos deuolutam non mori ſed ſorberi, vt ne quidem materia ei quaſi cada-

dauer reliquatur. Ad hæc *Quātitas* inhoſpita eſt quæ ſequentia hoſpitabat; ac ſi apertius dicam, ipſam cui cætera incumbebant, ſuſpendi ſubiecto deſtitutam, nec concedi ei vt Subſtantiam in Chaos comitetur, ſed quaſi cogi ad ſuperſtandum inuitam, geminata violentia, vt quę poſſit ſubſiſtere fugetur, quæ vellet ſubterfugere ſiſtatur. *Qualitates*, quid hic non queruntur, quæ etſi periculum effugerunt at non perniciem, quin metu quaſi morte laborāt dum Quantitati inhærent quæ nihilo incumbit, & velut in ripa amnis ancipiti ſtatione locatæ non euadunt interitum, ſed expectant. Sed & honoris ſui iacturam altius ingemiſcūt & bis ſibi cauſantur præiudicatum, nec pœnam duntaxat, ſed culpam demerētibus imponi, & neceſsitatem quæ alias excuſat vitia, hic facere, dum coguntur illæ ſenſui ſimulare, ſi-

Non desunt mihi fateor siue paradigmatum siue rationum momenta quibus horum stuporem possem mitigare; sed enim hæc ipsa adhibere quid foret nisi pecuniam nummis vendere, atque eadem pro similibus cōputare. Meliori opera Eucharistiæ dignitatem inde altius intonabo, quod vna ipsa cætera quæque Dei opificia vetustate solida, nouitate rara, diuisa temporibus, auulsa locis, singula excedit, omnia æquet, & exhibeat non miracula tantum sed mysteria. Nempe redi quo voles sæculorum, reuoca ab Inferis vetustatem, vbique Eucharistiæ occurres, quam prisca illa, tanquam ferentarij velites aut magni corporis membra olim inferenda præiuerunt. Nimirum per illa prælusit Deus huius Sacramenti maiestati, ne aut ipse sine satellitio procederet, aut illud deinde raptim & tumultuarie emergens, tanquã ino-

inopina lux, eademque illustris mortalium oculos, siue palpitantem fidem insolenti claritate, hebetaret. Voluit ergo illa hoc præcedere, sed vt integrarent; hoc illis succedere, sed vt etiam constaret, tanquam summa cæterorum in quo omnia, veluti scopo quodam ac compendio in forum & scenam prodirent. Hic enim, hic inquam (AA) offertur vnigenitus Isaac, & tamen reseruatur, sacrificio sui superstes. Hic inprimis celebratur Phase, idest transitus Domini, quo ipse in cibum, siue in conuiuas transit. In ipsum duo hirci coiuerunt, quorum alter cessit in sortem Domini immolatus, alter diris deuotus est, sed seruatus. Hic iterato imò assiduè Christus in Bethlehem nascitur, hoc est, in domo panis; vbi etiam vltra naturæ vltimum caro spiritum gignit, vinum germinat Virgines, & irritamentum libidinis transit in

phil-

philtrum honeſtatis. Atque vt aliquãdo ſymbolis modum adhibeam, hic ipſe Deus per caſtra circumferendus in ſole poſuit tabernaculum ſuum, quũ ſcilicet ex Pleiade Sacramentorum mediam Euchariſtiam, tanquam ſedentarium ferculum maieſtati ſuæ deſtinauit. In Sole inquam tabernaculum ſuum tetendit, quum hoc quaſi cor cæterorum occupauit, vt inde tanquam ex centro cæteris Eccleſiæ ſymbolis virtutem diſpenſaret. Omnia enim hinc hauriunt lucem, hinc vires mutuantur, quanquam neque ſibi ſimilia, neque iſti paria. Alia vſu proſunt, tamdiu ſuperſunt dum ſumuntur; hoc autem vſu conficitur, & confectum manet; vt chariſmata Dei alibi ſellam aut currum, hic verò domicilium fixiſſe videantur.

Quo æquius eſt Vos (Auditores mei) tanti myſterij non modo vſuræ animum, ſed pec-

tus scientiæ præparare : nullibi opera vestra fœlicius, sumptus honestius, ætas vtilius impendetur. Argumentum est dignitate regium, difficultate arduũ, magnitudine diuinũ. Regium, adeoque nulli pudendum; arduum atque ita cuiuis aquilæ sudandum, diuinum denique ac proinde submißis adorandũ implorandumq;. Et sine dubio capi se sinet oratum, intelligi captum, dum nos interim necessario apparatu ad colligendũ hospitem instruamur, studio quod paradoxum æquet, obsequio quod dignitati respondeat, pietate quæ Deum prosequatur.

VALETE, PRAESTATE.

PRO-

PROLVSIO

Vltima

De Beatitudine.

QVum olim auditorum pruritus scenam histrionibus aperuisset, quidam ex illa colluuie primariæ notæ mimus postquam frequentissimam coronam etiam demulcendo lassasset, ne quando segniores eos videret in recurrendo, ad turbam conuersus elata cum voce manu inuitauit omnes ad eadem subsellia, pollicitus se cuique eorum qui audiendo ipsi rediissent in eo theatro palam editurum quod quisque vnus in corde & votis haberet. Placuit oblatum vulgo, qui quum gli-

glisceret secreta rimari, & quisque alterius conscientiam gratissimè erui videret, condictà die ita agminatim & densissime conuenit, vt cauea turbam non caperet tametsi capacissima. Tum vero illis expectatione suspensis, superuenit mimus, qui vt fidem suam redimeret, ad populum versus: Memini me (inquit) in vltimo conuentu spopondisse hic hodie dicturum quid quisque vestrum in pectore & votis haberet, quod nunc præsto insimul, est enim omnibus idipsum: Scilicet vultis omnes vili emere & vendere carò. Ita ille, sponsioni promptus, solutioni piger, imò etiam impar, adeoque adhuc obnoxius expectabat hodierni lusus oratorem qui quum argumentum suum seriò expleuerit, tam certissimè ad hunc scopum collimabit quam aberrauit eo mimus, quanquam non vnum sed plura produxerit. Non ergo

ille

ille promissis respondit qui omnium votum ait esse vili emere, quum nō omnes sic nundinentur: Sed nec satisfecit appingens saltem velle illos omnia vendere carò, quum plerique etiam donent. non ergo, non inquam ille hoc ære se absoluit, non obligatam fidem relaxauit, sed ego hodie ipsius chirographum iustè repetam, quum sponsionem resumam, scilicet dicturum me hodie de eo quod quisque vestrum, aut eorum etiam qui histrionem illum audierunt, in animi votis in'votorum peculio habetis. Dicam enim de Beatitudine quam verissime assero quemq; vestrum in comitijs cogitationum tenere. Non enim nisi nullus est qui non experitur sibi cor hoc ambitu palpitare, qui non venæ suæ varices hoc succo sentiat tumere, & denique theoriam hanc sua praxi non ostendat, scilicet insomnem orexin hu-

ius boni tanquã momenta arteriæ perpetuo eũ fodicare. Aliud quodcũmq; dixisſé, cum pantomimo errarem; attulissem voluptaté, refractarios Catones haberem: posuissem diuitias, cum Cratibus foret contendendũ; at quia Beatitudinem hac palma donaui, neminem aduersarium, quemq; complicem habeo quia nimirũ cuique vni idolũ in hoc Pantheo erexi. Quare dignum plane est vestro genio, obiecti nobilitate vt illud hodie apud me ventilandum, non mimico plausu, nec scenico lusu, sed Christiana ideſt verissima philosophia, tam læto silentio audiatis, quam ego illud libentissimè vobis propono. **Vbi (vt id obiter aduertam) videbitur mimicus ille agirta veritati non litasſe in sua definitione, quum ego nequaquam caro diſpẽſem quæ tamen carò emi. Auditu & silentio solo ea vendo, quæ ipſe nequaquam quiete illa sed ope-**

opera & pretio comparaui, quãdo mei doctores olim non auditorem duntaxat, sed debitorem me habuerunt.

Sed, vt soluam aliquando ex hoc portu & tamen pendeam, illud in ignorantiæ meæ subsidium noto, hodiernæ dictionis argumẽtum nequaquam tresse aut triuium esse, vel ex inertiæ semente metendum; sed supra humum & vulgus elatum, &, vt optimum, ita maximum, certè autem maximæ difficultatis. Quod quidem videre est in errantium philosophorum dissidijs, quando homines intellectu Lyncei, studio pertinaces, scientia etiam doctissimi tam latè lapsi sunt, sic in diuersum abierunt, vt credas eos non ad definiendam beatitudinem, sed ad diuidendos se ipsos conuenisse. Audi enim quisquis otio & liene abundas, vt cachinnis diffluere possis: Pythagoras ille altus Apollo Philosophorum,

numeris suis sic oblectatus est, vt in eorum peritia finem hominis, & fœlicitatem omnium collocaret. Anaxogoras eam in speculatione sitam, adeoque quærendam iudicauit. Aristoteles in contemplatione, accedente vegeto corporis habitu: Herilus in scientia, Antisthenes in alacritate: Hecatus in sufficientia. Vultis addi? addamus; Tymon eam in tranquillitate statuit, Symonides in pulchritudine, sanitate, diuitijs: Stoyci in virtute, Epicuri in voluptate. Socrates in animi bonis, quem imitatus Cicero addidit adhuc temporis perpetuitatem. Denique Solon in hac vita inueniri eam posse negabat, Calipton asserebat. Ita illi inter tot fines hominis finem opinionibus non inuenerunt. Nempe Diodorus vltimum bonorum constituit in priuatione doloris: Hieronymus autem ab hoc simillimo sibi, (si tamen)

men) diſcedere auens, voluit eam conſiſtere in non dolendo. Peripatetici vltra naturam, etiam fortunæ bona requirebãt, Dinomachus vltra virtutes, voluptatem: atque alij alijque; erant tot capitum motus, vt Marcus Varro togatorum doctiſsimus, aut verius ex eo noſter Auguſtinus numerauerit in hoc genere minimum ducentos octoginta octo modos philoſophandi, ſiue ſtatuendi de vera hominis fœlicitate. Quo minus equidem miror non poſſe fœlicitatem à Natura præſtari, quomodo enim daret illa quod non nouit, quomodo autem nouit, quod ſcientiſsimi illius neſciuerunt; neque quidquam de beatitudine ex illis certius colligi poteſt quã eſſe ipſam incertam. Propter quod ego deſinam viritim eos improbare, quod enim pretium operę ruentes impellere, aut (quod inſanius foret) rudera ipſa & ruinam demolırı?

Plerique eorum non inimico, ſed riſu digni ſunt, optimè ſupplodendi ſi negligantur. Quoniam autem tota alea rei in eo vertitur, cuinam ex pluribus tantæ ambitionis palma deferēda ſit & vel inde cui neganda, ex illo populo opinionum qui Romanæ veritati tanquam Albanorum exercitus aduerſantur, ſtatuam aliquot velut tergeminos fratres quibuſcum ipſe vnus Horatiorum, fata Vrbis committam, ſed detractis ab inuicem & ſeparatis. Fateamur enim quod eſt, iunctis ægrè obſtabimus, neque enim nos volumus amœnitatē omnem Paradiſo noſtro exulare. Sed quoniam illi ſibi inuicem non ſegnius quam nobis aduerſantur, oſtendam niſi fallor quam immeritò ſinguli opinionibus ſuis veritatem, obiectis beatitudinem vindicarunt.

Tres ſcilicet fuerunt qui aptiori fuco veritatem mentiebā-

tur,

tur, certe autem ad ſtomachũ plebeculæ ſapuerunt, Epicurus qui voluptati, Stoici qui virtutibus, Ariſtoteles qui vtriſque faueret, hoc eſt vltra virtutis elegantiam, dotem aliquam cõmoditatum expectaret. Atque vt à primis incipiam, leui opera eos hac arce deturbabo: Aio enim Epicuros plurimum animalis, minimum rationis huc hodie attuliſſe, quos proinde nolo ego augere quum carpam. Rationum ergo momentis quaſi decretorijs armis cauſam hanc ita depugnabo, vt quoniam iam antea *eandẽ procuraui, hic nõ reſumam ibi adducta ſed potius adducam reſumenda. Quod ergo voluptates nequaquam poſsint arcem illam ſuſtinere, vel inde conficies, quoniam ſi quando poſſeſsio illis concedatur, tum enimuero hiſteron hoc proteron & rerum inuerſio

* *Proluſ. 12. Philoſoph.*

sequetur, vt optima miserrima, turpissima quæque quam maximè sint beata. Siue (vt lingua eorum loquamur) fiet vt homines paradiso exulent, bestiæ inducantur. Nolunt optionem illi, sed vel inuitos premit, cum nemo nesciat his sensuum obsonijs cætera animalia ter quaterque esse nobis aptiora. Quotus quisque elephanti in bibendo certet, qui quum quatriduanam sitem tolerauit impletur simul in præteritum & futurum, omnium heluonū altissimus gurges. Quis Veneris vsu muribus, qui in vtero vterum gestaut, & concipiunt priusquam nascantur. Hos scilicet Epicurus in apotheosim referret, his cælum popularet occlusum hominibus, destitutum Angelis, Deo ipsi interdictum, Non enim ille hac esca capitur, sed nec esca in ipso; oblectamenta sensuum simul cum organis ei negata sunt, organa cum mate-

gia ;quod si in malis numerandum esset, fieret vt Deus inuidere deberet trabibus longitudinem, montibus vastitatem.

At enim vt video illud hos sues dementauit, quod cœno illo obliti, nec quidquam nisi paludem suam edocti putauerunt se frui illis quæ patiebantur. Nam si hæc quæ sensum titillant, ad trutinam veritatis expenderent, tum denique saperent, ea quæ tam impotenter sorbent non modo optima non esse, sed nec bona. Scilicet esca, potus, quies non tam præsidia fælicitatis sunt quam remedia morbi, vt si intra pelliculam dispicere ea liceret, tum enimuero videremus ea non se ipsis, sed alio placere. Sapit cibus, sed impasto; deme famem, oblectamentum in onus transiuit. Darius Imperator, quum in fuga aquam turbidam hausisset, & cadauerum tabo fœculentam, negauit se iucundius

bi-

bibisse: nimirum ante nunquā sitibundus bibit: adeo non potus in potu, sed sitis in alio sapit. Audite Epicuri, quæritis eadē, & vitatis: quales deliciæ quæ miserijs condiuntur? In cimelijs voluptatum copia ab obiectis, sapor ab egestate est. Et quis ita insanit, vt se diuitem inopia, sanum periculis, pulchrū turpitudine glorietur?

Sed imus in altum, quum potius adlabi ripæ, & littus legere debeamus, tum demum intelligendi ab his Iuris vtrisq; (scilicet piscium & carnium) peritis, quum argumentum aliquo horum adipe fluxerit, aut certè in Veneris gynæceis sudatum hircos & prostibula oluerit. Ne saltem, ne simul cum pudore etiam humanitatem exuant: admittant laxiorem circum crapulæ suæ quum dabitur, dabitur autem laxissimus. Nempe si princeps fœlicitas (siue summum bonum)

sita

ſita eſt in voluptate, iam vtique licebit eã vndè vnde aduocare; neque enim modus eſt, aut eſſe debet ei induſtriæ, quæ non niſi bonum accerſit. Solida omnia: quis obſtet? atque ita inuitanda crapula eſt, deſpumanda ebrietas, ſtupra ſtupris aggerenda: quidni enim, ſi ſingula hæc ſummũ bonum integrant, omnia abſoluunt? Si autẽ hoc filo ducamur, virtutes virtutibus auferemus, Temperantiã Fortitudinem, Caſtitatem, has enim voluptatibus non fœnerari ſed detrahere, clarius eſt quã probari à me poſſit; ac proinde cogemur eas per ſummum ſcelus à cõplexu noſtro auellere & adoptare vitia, tanquã meretricia proſtibula in matronarũ locum aſſumamus. Certè autem etſi nos id nolimus, ſed voluptas efficiet, ſi quando ei aurigandũ hunc currum tradamus; vt quomodo in picturis ſubinde videmus clauã & leoninã Herculi ab

Om-

Omphali detracta, ita voluptatis illecebra cum semel arrisit omne virium trophæum, quodlibet laudis instrumentum, totam gloriæ possessionem iam effæminatis, & (vt dicam quod agitur) volentibus nobis extorquebit. Quod quia nemo vnus admittet, proinde oportebat me litem hanc minore pomerio definire tanquã æquissima causa fretũ & pœne iam præiudicata; vt id ferè supersit decidendum, an ipsa Virtus, quæ voluptatẽ Senatu mouit, posit sũmi boni fastigium nullo reclamante tueri.

Et quidem id Stoa buccinat, cui obstrepere religio esse videtur, quoniam suspicione plenũ est virtutum aduocato obstare, eò magis quod nos, qui Euangeliũ profitemur hic nobis occurrimus, quum Christus pauperes beauerit, persequutiones cælo intulerit, & lugentium oculos non tergere voluerit sed adhuc madidos summa fælicitate do-

nare.

nare. Audio excludi bombum, video arietem impelli experior aciem ſagittæ è pharetra noſtra depromptæ. Nam quid certius nobis Fide? quid charius proprio? quid eo violentius quod nos etiam qui patimur optamus: inexpugnabile eſſe quum vibramus? Ne tamen terreat mihi hac larua (AA) fucus eſt, ac proinde ad ruborem præferentis explicandus: Tot paraſangis, (tantum non diametro) diſtant quod in Stoa Zenonis, atque id quod in porticu noſtri Salomonis auditur. Ibi enim de vſura ipſa beatitudinis actum eſt, hic tantum de inſtrumentis. Alter de meritis loquutus eſt, alter etiam de ſtipendijs; neque Dominus in ogdoade illa beatitatum, ipſam non inquam fælicitatem ipſam, aut pauperibus, aut oppreſſis, aut quoquo modo eam lugentibus; regni poſſeſsionem, ſed ius vt maximè aſsignauit. Quomodo

do enim administratio regni ad pauperes pertineret, quum paupertas tanto patrimonio profligetur?

Et quidem hucusque Stoa, tanquam Venusini cornicula, alienis pennis se venditauit; nunc quoniam eam nos meritissimè hac pompa spoliauimus, superest vt eam in pellicula sua intueamur, si fortè adferre nonnihil posit quod causæ suæ adstipuletur. Expecto, reexpecto, quæro, requiro, & denique sperando desperaui quum duntaxat audirem speciosa vocabula virtutis, sapientis, hoc est apud ipsos, beati, quia nimirum accommodat se euentui rerum vtut acerbo; tanquam homo sola voluntas foret, aut casuum fortuna definienda esset non ipsorum natura, sed ferentis. Quod vt demus opportunè mendicantibus, sed illi in perniciem suam admittent. Nempe ita aufertur materia vir-

virtutis, atque ita laus, quam illi interim auidissimè nundinantur.

Aspersit hoc piperè ipsos quidam etiam non doctissimus Athenis. Ibi enim in vmbelico brumæ quum impotens aquilo, & malignum cælum frigus durissimè obstinarent, adhuc aliquis ipsorum circum cursante populo vestem omnẽ exuit, & conspectum simulachrum, quod in foro illo noctes atque dies rigebat, strinxit arctissimè complexus. Id quum omnes miratione multa prosequerentur, sed ipsorum quidam philosophum interrogauit an interim frigeret? negauit Stoicus: & ille; quid ergo magni facis? Videtis angustias Thrasonis: negaret se frigere, fortitudinis laudem amisit; fateretur, sapientiæ. Ita his Syrtibus obsessus, non potuit nisi naufragio enare.

Sed enim aliquando omissis telis

telis ad machinas veniamus,vt erratici Stoyci non minus profectu nostro quam oblectamẽto ad palinodiam recinendam compellantur. Nempe si vltimum bonorum in virtutum exercitio reponimus, iam non est quod vlterius quidquam exspectetur; quid enim summo altius, sine vlterius, non dico haberi possit, sed intelligi? At hoc quam iniurie dicatur, quisque tum intelliget quum proinde viderit militibus stipẽdium, doctoribus præmium, victoribus triumphum, summa iudicum iniuria, infinito merentium damno, dietim & cõpitatim negari. Quum enim ille sanguine, iste sudore, hic etiam membrorum iactura, charissimorum funeribus salutem patriæ pepererunt; sed illimet fortunæ canditati ab omni impendio repellentur spe. ciosis vocabulis pasti, quod in ipso æstu operum præmium om-

omnium acceperint, vltimum bonorum fælicitatem; quid enim iam beatis adijcias, quorum conditio si mutetur, non habet quo migret nisi ad infælicitatem?

Et tamen ista nobis occinũt qui vilissimo operam suam vendiderunt, popularis auræ, & vanissimæ gloriolæ lytro. Is enim quem paululum retrò produxi, amplexantem æra, lacessentem frigus, & tempestatem hyemis suo pectore tanquam scopulo frangentem, friguit creditis vt frigeret, ac non potius illud gloriæ mancipium apathiam illam compitis ac foro explicauit, quo ita tot testium numero, circumstantium admiratione frueretur? Scilicet sic desinit hæc gigantum arrogantia, & qui cælum capite perrumpũt supra homines elati, strepunt tantùm, & cornicantur, remigio verborum librati. Quum spirare eis desiuerit fori aura in tri-

triclinium reductis, nemo vnus sic ab alio differt vt illi se à se ipsis: quod mihi sanè certissimus index est, illos sibimet nõ credidisse, nec persuasisse suis ipsorum cerebris quod populo prædicabant ad speciem tantũ, & ostentationem. Id verò de quibusdam duntaxat capiendũ, quoniam iugulum eorum petit atque extemplo eos omni commeatu exarmat, id inquam venia vestra, ipsorum pudore hic prosequar, lentius fortasse quam deberem, at certè angustius quam possem. Libet tamen horum tenebrionum latebras tanquam vesicæ cauum explicare, vt quum eam vos non mutatam, sed inuersam videritis, protinus intelligatis nihil eos nisi auram & flabra impleuisse. Socrates, quem hi honestatis tibicines Firmamento cæli immobile astrum intulerunt, fertur à suis, triginta tyrannos in ordinem redegisse, quum tamẽ

ipse

ipſe pedori carceris foret ab illis adiudicatus : quod quum nec Stoyci auſint negare, addunt eum inuidiam loco detraxiſſe. Pergamus : hic ſuperbè frugalis Stoyco ſupercilio genus omne hominum hac creta perſtrinxit, dicens: cæteros viuere vt edant, ſe autem comedere vt viuat. Et verò ipſe tam decantata parcimonia quid profecit? vt pæderaſtia, ſeu pathica libidine infamis, etiam inexcuſabilis eſſet. Etenim Athenis accuſatus eſt & addictus morti centum octoginta ſententijs, quod non ſolum Deos patrios reſpueret, ſed etiam adoleſcentibus intéperantiſsimè abuteretur. Hoc ſcilicet eſt vitam beatam docere, virtutem per ſalebras & prærupta quæque ſectari. Hoc philoſophiam ad mores tranferre quum perditiſsimus foret qui optimè magiſtrum expreſsiſſet. Addamus : Erat Athenis reo

dam-

damnato (si facinus capitale non esset) æstimatio pœnæ ex sententia: Scilicet interrogabatur reus quam pœnam meruisse se fateretur? Id quum quæreretur Socrates, pro sua modestia respondit meruisse se vt amplissimis præmijs augeretur, & quotidianus victus ex Prytanæo ei præberetur. L. Annæus Seneca, qui effætam hanc, & iam annis fractam philosophandi rationem succollanti eloquentia defixit; nec quidquam lineatim, nisi paupertatem & frugalitatem crepat; qui fortunæ neglectum, opum nauseam, diuitum sibilum, ac potentium insanias tumidissimè cornicatur; volue reuolue ipsum, non plures in Galaxia stellas quam in eo gnomas inuenies, Et ipse qualis?

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

di-

dicam, ingentes opes & vltrà priuatum modum euectas possedit, vt Fennius Rufus & Tigellinus dudum iam Senecæ infensi, iudicauerint se inuidiam illi facturos earum obiectu. Ter millies H S congessit, hoc est septuagies quinies centena, & ducenta millia aureorum. Certè ipse in oratione, quam pro se apud Principem dixit ingenuè fassus est ipsum eas opes, ac honores in se congessisse, vt nihil ei deesset nisi moderatio: & ibidem addit, se substantiam suam sustinere non posse, propter quod velut in itinere lassus, optauit in adminiculum vacationem opum, quarum fulgore perstringeretur. Neque tamen his contentus Stoicus, hortorum amœnitate, villarum magnificentia pœnè cum principe certauit: Tripodas cedrinæ materiæ, ἐλεφαντόποδας, siue eburneis pedidus fultos quingentos habuit, æquales om-

nes, & similes, super quibus vesceretur. Hoc Bachanal vixit, eo luxu diffluebat philosophus, qui fortunæ bona non bona, sed vt maximè adiophora prædicabat; nec vnquam magis beare hominem quam quum abessent. Nam si hoc ille sensit, cur non expressit? neq; aliud, aliudque pectore & ore gerens posteritatis iudicium formidauit. At enim nisi hoc illi ignoscas, vix habebis quem pallio & pera digneris. Propter quod nihil pensi habebo hinc ex Porticu ad Peripatum transire Aristoteli refellendo; non enim hic nouum aliquod dogma adfert, sed maius; vtrũque scilicet, hoc est, virtutum exercitia, atque etiam Fortunæ appendices; quorum quodque quia abunde hactenus vapulauit, lubens hoc beatitudinis simulachrum prætereo, vtpotè in singulis duorum, atque ita bis supplosum.

Nunc

Nunc denique quoniam tam seuerè alios excepimus critici tantum est Aristarchi, fas & tẽpus est, vt ipsi quoque aliquid in hoc album promamus, quo veluti noui calculi accessu acervus hic Mercurij augeatur. Audio (AA) signum, & implebo eò libentius quo etiam ego hæc rostra proinde incessi), non vt aliorum deuia proderem (quo enim illud, errorem docere?) sed vt ijs tanquam purgamentis verriculo egestis, in huius scholæ aream ipso-ipsam beatitatem liberius latiusque adorãdam vobis exhiberem. Ne verberet vos vocabuli huius, aut delati honoris inuidia, tanquam ego Ethnicismum ex ruderibus suis rursus remoliri videar, & Fortunę aram excitare. Fortuna illa fabula fuit, somnium vigilãtium, aurea messis, ex semente inertiæ nata; nam vt quisque erat inertissimus, ita maximè fuit fortunatus, quum fortuna

non poſsit ſpem ſui implere. Chriſtiana fęlicitas longum vale figmentis dicit, ſpe expectatur, beatitudine poſsidetur. Vera eſt, & proinde bona; diuina & vel inde adoranda. Nam ne vos ego anfractibus orationis quaſi Mæandro aliquo circumducam, Deus eſt quod expectamus, hoc beandi ſumus, aut nullo: In hoc portu anchoræ nobis ſedent, cæteroqui iactandis.

Quanquam equidem dum hæc dico, ipſe me conuelli ſẽtiam, atque vncis admirationis vellicari, vt verum eſſe poſsit, quod veriſsimum profitemur, Deo nos eſſe beandos, ſine illo proiectos. Quantus ego ſum, cui delectando infinitum debeat impẽdi? Si Deus ſibi ſufficit, quomodo non mihi abundat? & potius obruit me quam oblectat amplitudine maieſtatis oppreſſum? Quin verò videtur inſaniæ proximum id expecta-

re,nec aliud omnino quàm Herculem Pygmæo, elephantem culici, Oceanum paludi conferre. Quando enim ſtola Herculis illi hominis compendio inſidebit; quam immane creſcere debet culex, vt illum animatum montem æquet? An vnquam ſic dehiſcet palus, niſi paludem exuat, vt ſuo alueo fluuium, (nedum Oceanum) ampleƈtatur? Sed vero verius tamen eſt, minus Pygmæo ad proceros, culici ad elephantem, ſtagno ad Oceanum abeſſe quã debeat eſſe in appendice illa, qua nos authori noſtro pariamur; vt niſi religio eſſet nobis religionis gnomis obſiſtere, videri poſſet palmaris temeritatis non eſſe minoribus contentos quam Deo, hoc eſt, quam ipſa infinitate. Sanè ſi arbitrio noſtro id effeƈtum, ſuperbè; ſi rerum natura legitimè, &, aut deuorandum Fide, aut philoſophiæ adminiculis velut peƈtine ca-

pillatim disparandum, vt difficultas imminutione rarescat: sed quàm id ægrè vbi Fides rationi reniti videtur, experimenta fidem cõuellere, Natura sibi obsistit. Repeto aciem argumenti, si fortè aliquando hebetandam, atque iterùm iterumque quæro, cur non posit quidpiã æquali impleri? cur congius congio nõ sufficiat; quę metreta alia nõ æquetur? ac si explicatè disquirã, cur non posit in humanis fælicitas esse, quæ homini sufficiat? Cur definita voluntas, & arctissimo gyro circumscripta non posit boni vllius finibus eo magis circumscribi, quod sciamus, homines ne quidem finito bono pares esse, imo aliquãdo non magno potitos, interim prægaudio, quasi arcta vasa crepuisse? Victis ad Thrasimenum Romanis, eaque clade nunciata, multitudo de suis sollicita ad portas se effudit explorantes quæ fortuna suorum. Varij sci-

sci-

ſcitantium rumores, mulierum multo acriores, quarum vna filio, quem fama mortuũ ſparſit ſoſpiti occurrens impar gaudio expirauit. Huic ſi quis infinitatem fœlicitatis quæreret, nonne longiſsimè cachinnis omniũ vapularet, quando illa rupta diſsilijt, non modo leuiſsima fœlicitate, ſed aliena.

Sanè optarem hic ego perſonam exuere, auditorem potius quàm Oedipũ profiteri, & ſubducere Oratorem, ſi fortaſſe fuga aliqua famæ meæ conſulerem, cuius mihi exemplum Ariſtippus olim legauit. Huic ſcilicet quum quiſpiam ænigma poſuiſſet, vrgeretque importunè vt ſolueret, excandeſcens Philoſophus ait: ſtolide, vis vt ſcluam, quod etiam inuolutum plurimum nobis negotij faceſsit. Sed quia dudum ex hoc ipſo loco etiam docens didici, vos nequaquam Chameleontes eſſe, qui aura impleamini, faciam

potius quod Aeschines Socrati suasit, vt à seipso vsuram sumeret. Repetam quod supra reposui, ni fallor genuinum huius griphi commentum. Scimus scilicet arbitrium nostrum, siue voluntatem non nisi bono satiari, hæ illius epula, hic suctus, & peculium votorum, adeoque vt importunè admodum escam siti adferas, potum fami propines, ita ludit operam, qui voluntatem nostram audet à latratibus compescere parerga, illa importunè ei offerendo, tanquam saturum absq; cibo, formosum sine pulchritudine expectaret. Iam verò arbitror à me ostensum (creditorem enim memorem habetis) ista, quæ in huius Mundi foro væneunt pharmacopolis assignanda, vtpotè non bona ipsa, duntaxat remedia malorum. Confeci hoc, quid repetam? quorsum eandem incudem retundam, ac non magis addo ali-

qua

qua paulo amœniora, vt blandioris argumenti mulso, mitigem philosophicæ dictionis seueritatem. Sed priusquam hinc castra moueam, scipionem relinquam, veluti quoddam triũphatæ ignorantiæ monumentũ, his litteris incisum: Beari homo potest, sed aliquo supra hominem bono, merce vltra finitam magna; & si vultis huic Helenę frontem explicari, respicite, Deus ille, Deus; hic nimirum, est polus cui obuerti debet magnetica acus arbitrij; hoc centrum in quod ruit pondus omne voluntatis, semper violentum vsque dum illi incumbat. Neque admirationi credendũ est murmuranti hic magnitudini locum deesse, quot enim sunt quæ maiori spatio digna, minori subinde continentur? Clodius Albinus Imperator in Gallia vno accubitu solitus est edere quingentas ficus passarias, centum Persica Campana, Pe-

pones Oſtienſes decem, vuarum Labicanarũ pondo circiter viginti, ficedula centum, oſtrea quadraginta, capones decem; quum nemo neſciat non dico huius hominis aluum, ſed ipſum quantus quotus erat ampliſsimus Imperator, dodrante arctiorem fuiſſe. Quid adhæc dicturi ſunt iſti menſores? quid ad Herculem, qui vno cõniuio ſolidos boues deuorauit. Quamquam nec concedam beatum obiectum à complice eius includendum ventriculo, ſiue cauea ulla, aut cancellis obſidendum. Aſpectum arridet, extra fauces ſapit, hæc naptha ignem ex interuallo accerſit. Scilicet bella illa ſpecies, ſumma illa bellitudo, oculorum ſimul & animorum nictus tanquam tyrannus rapit inuitando quoſque illice voluptate conductos. Magnus ille magnes Deitatis, illud ſuccinum noſtræ ſtipulæ tenet, æternumque tenebit

nebit beatis oculis didictas palpebras, elata cilia, vultum virtutemq; omnem miraculi nouitate suspensam, complexus voluptate absorptam, æternitatis securitate beatam. Sciunt scilicet illi solem suum nunquã occidere; gaudent amœnitatem oculis non subduci, experiuntur se tot complexibus non lassatos. Inhiantes semper edũt, & edentes inhiant, tam opipare pasti acuunt cibo appetentiam ipso esu irritatam. Sanè ego capere hæc non possem, nisi crederem, nec credere nisi arctarer. Ita est (AA) superna beatitudo, ille denarius operæ diurnus, vespertinus solutione, illud numisma census Cæsaris characteribus & imagine signatus; ille ille (AA) admitti facilè potest, æstimari aut intelligi non potest nisi se ipso; ineffabilis illa, & ideo Dei imago, vt quemadmodum hic nisi a se non comprehenditur, ita nec

beata visio capi possit nisi beata visione. Aut ergo vita illa beata non foret, aut non ego miser & hospes, si eam non dico sumendam propinare possem, sed vel exprimere intelligendam. Optimè eam penetrat qui desperat penetrandam, qui intelligit sapores hos non nisi gustu percipi, beatitudinẽ solò experimento doceri; hic interim tantum industriæ nostræ subesse, vt è culmo spicam colligamus, & arbitremur nobiscũ quanta illi Venus in vultu, cuius vestigium sic ridet. In hoc elementorum Mundo, in quem tamquam sentinam fœces superioris truduntur, quæ seges voluptatis, quæ messis segetis; ille viror graminum, nitor fluminum, plana & supina camporum; deuexa montium, salebra ipsa syluarum, vbi amœnitas aduersitate crescit, proinde placida, quia non placet; Fruteta inquam, & virgulta innexa

sibi

ſibi & implicata tāquam capita impexa cæſarie hirſuta. Adde quum voles (nam quid non addendum) quod ſapit in cibis? quod ridet in hortis, quod in ſonis Syrenibus illis lenocinatur, omne enim ibi aderit ad lubentiam, deerit ad horrorem, quia potioribus excludetur. Diuinus (vel hinc ipſum) Plato olim affirmauit gemmas cęli quiſquilias eſſe, & quaſi retrimenta, quæ pauimentnm illud inquinarent. Veſtram fidem (AA) calculum veſtrum Arithmetici; quid ibi in theſauris, vbi gemmę in excrementis; quæ opum abyſſus, quis abyſsi luxus, cui noſtratis mundi facultates internuntijs tantum numerantur. Quanquam quid ego aliqua adſcribo illis tanquam alia deſint, ſufficit dixiſſe ſemel illos omnia, quod eſt Deum, habere, Dei hæredes, in patrimonio teſtatorem collegiſſe. Illum, ſitiunt & proinde in nectare bibunt: illum eſu-

esuriunt adeoque in ambrosia edunt, ipsum, denique pruriunt, & vel inde amplectuntur strictiuris & vita visionis. Scintillant ibi lumina, & vibrant in aduersum radios, quibus amata attrectant; propter quod scitè olim Arcecillaus intuitus quorumdam oculos motatiles, & alterne conniuentes: Non interest (inquit) quibus membris cynædi sitis. Exprobauit illis lasciuiam, quanquam adhuc domi stagnantem, tanquã illi oculorum radijs quasi manibus se palpassent. Et ego quidem admitto, atque opto maximam hanc voluptatem, sed contendo adscribere maiorem; plus est frui obiecto quam vti, possidere ipsum quam contemplari; illud intellectu fit, hoc voluntate, ad quam proinde infulæ beatitudinis pertinebũt. Veterum industria quum Dijs quibusque suppellectilem suam assignasset Amorem corona-

do-

donauit, innuens vtique optima quæque illius esse, cui cætera quæq; tanquam plebs principi primas concedere vellent, & verò etiam cogerentur. Quod quoniam lõgiori comate in hoc Athenæo prosequemur, sit nũc satis libasse, ne alienam segetem metamus.

Nunc quoniam ipsi concessimus Voluntati palmam ab Intellectu etiam deferendam, non arbitror è re nostra esse vt exuccam eam deferamus, quin rigemus potius acroamate aliquo desinentis orationis quasi cygni. Luctentur venti, tempestates opinionum fremant super illo, in quo beatitudo sit statuenda, illud Aplani ipso, hoc est Firmamento firmius sit, illam quanta est omnem ad trutinam meritorum appendi. Hoc illius lytrum, hæc illo pretio licitatur. Cato ille consultissimus, Romanæ modestiæ æque ac æquitatis Censor, petentibus

ius

ius ciuitatis attrectabat manus si fortè callum obduxissent; ni facerent, excludendæ. Ita vtique ille vltimus Censor supremo ac decretoria die quo cælestis Vrbis municipium asignandum erit, manus candidatis attrectabit, hoc est, in opera singulorum inquiret, quæ quoniam, etiam me tacente videtis beatitudini necessaria,

ITE NON AMPLIVS AVDITORES.



SEN-

SENTENTIÆ PROLVSIONIBVS Inſperſæ.

1 *Tam pugnat rationi multus numero* Deus *quã nullus: Ille aut vnus eſt, aut deeſt, & vt ſit, eſt ſolus.*

2 *Illa numerum facere poſſunt quorum ſingula naturam non exhauriunt: quum quidpiam totam ipſam æquauit, fruſtra aliquid expectes niſi idem repetatur.*

3 *Omnia præter primum plurima eſſe poſſunt: idem eſt ſummum & ſolum.*

4 *Qui tempus omne degit non poteſt anguſtius quam vniuerſo loco habitare.*

5 *Deus tum pro dignitate (etſi ne tum quidem) dicitur, quum dici non poſſe decantatur: nec quidquam in ſuis laudibus libentius à nobis audit, quam*

quod

quod velit tantum, non possit per nos celebrari.

6 *Illigantur obiecta compendio verborum, ea maxima quæ magna ipsa sunt; ut velut aromata pyxide circumscripta, delectare circumpositos non possint quæ alioqui laxã areã, & sinuosam dictionem adepta, suam famam cum nostra voluptate propagarent.*

7 *Quæq; calamitas vint acerba communione & compassu tanquã diuisione sui mitescit.*

8 *Arduum est supra homines ferri; periculosum de dubijs, temerarium de ignotis iudicare. Durum apud peritos argumenti dicere; verecundũ aspicere quos extollis, siue, vllis laudes eidem auditori propinare.*

9 *Tutius est spargere multa quam colligere, & fœnerari quodq. quam mutuasse. Malo liber esse quã deuinctus, maximũ duce quã minimũ debere.*

Non

10 *Non potest citò incipere qui multos premisit.*

11 *Magni nos æstimaret* Deus *si destinasset Angelis apparitores; comparassent illi obsequia nostra admittendo.*

12 *Interest quid quibus dicat, & incassũ facundia se fatigat nisi cum Musis etiam Gratias in theatrum ducat. Optimum argumentum obsoletum est nisi faciat ad salinam auditorũ. Suadere non poteris (nedũ persuadere) nisi quod dictaturus es prius placeat quam prosit.*

13 *A*micitia *pares hinc inde aut inuenit semper aut facit: Non potest par Colosso esse nisi procerus.*

13 *Nullus error magis venialis est eo qui ad gloriam creditoris laxatur.*

15 *V*bique *ditissima possessio facillimè potest perire.*

Vndique rerum lenissimè amittitur quod difficulter tenetur.

Fu-

16 *Furor est in morbo expectare id cui sanitas non suffecisset.*

17 *Obuia fastidio, difficilia in desiderio sunt.*

18 *Non potest aliquid summum esse & par vili.*

19 *Non est magnum nisi magna vicisse. Mediocria vir fortis non concursu, sed neglectu dignatur.*

20 *Nemo perstringendus est eo quod inuitus perpetrauit.*

21 *Mors hominis non est naturæ generis sed pœna: dele peccatum, & mortem occidisti; quanquam nec occideres, quia non foret quæ periret.*

22 *Quod definitum est, in partibus decrescit, nec potest magnitudinem suam sine integritate tueri.*

23 *Beneficij sui compotes nos Deus voluit, stratagematum nequaquam.*

24 *Non minimus ad virtutem stimulus est virtus maiorum, etiam quum stagnat illa & ne-*

& nequaquam per traducem ad nepotes deriuatur.

25 *Nemini tam charũ est quod temerè inuenit, quam quod desiderijs ambiuit.*

26 *Consuetudo cum lentè serpsit, transit denīq; in naturam.*

27 *Suspicione plenum est virtutum aduocato obstare.*

28 *Plerique non inimico, sed risu digni sunt, optimè supplodendi si negligantur.*

29 *In cymelijs voluptatũ copia ab obiectis, sapor ab egestate est. Non potus in potu, sed sitis in alio sapit.*

30 *Optime beatitudinem penetrat qui disperat hic penetrandam, qui intelligit sapores hos non nisi gustu percipi.*

31 *Scire non optanda crapula quædam est, optare non accipienda, equuleus.*

Summe charum summe carnifex est quum negatur, aut deserit sperantē, maxime si immi-

mineat misere aut obijciatur.

32 *Sacramenta oculi amant investigari, nec erui volunt, personã non vultum monstrare.*

33 *Inius si à Deo fieret, iure irrogaretur.*

34 *Deus potius nullius misericordia est quam parua; idem est ei imminui maiestate & excidere; ac proinde non potest vllibi virtutis optimo deterior esse, infinito minor.*

35 *Potest quid aliud esse; & tamen aquale: non statim deterius quod diuersum est.*

36 *Virtutem cum voluptate concipimus, cum dolore parturimus.*

37 *Pœnitentiam aut nunquam institui decuit, aut non destitui vñquam & desinere.*

38 *Durare possunt aliqua post exordium, sed illa solum desinere possunt quæ cœperunt.*


39 *Amicitia vitæ obsonum est, sine qua frustra sunt fercul-*



cultates, velut in cœna mulceri gula non potest si desit cui propines.

40 In itinere cælorum arduo illo & prolixo etiam centuplex pes est simplex.

FINIS.





Errata plurima irrepſerunt tum alias, tum defectu characterum etiam græcorum; item in interpunctionibus: potiora ſunt iſta.

Pag. 56.	lin. 10.	hiant,	*lege* hiante
80	8	adamus	adamas
92	24	ſcit citatur	ſciſcitatur
97	5	incubit	incubuit
127	*med*:	æquat.	æquat ſe
154	*med*:	non ferit	nos ferit
ib.		feliciſſimam	fæficilliſmã
158	*med*:	dies	. Dies
183	7	Eccleſiaſtes	Eccleſiaſtæ
184	med.	cepit	cæpit
198	1	Mardochdm	Mardochæum
	3	Iudzoaum	Iudæorum.
255	25	εμουσιος	ομουσίος
267	fin.	madit	mandit, &c. cum interpunctionibus ib.
287	med:	μεν	μεν
341	*fin.*	BSOLVO	ABSOLVO
350	2	ergo.	*delendum eſt.*
349 *& alibi ſæpe*		ſtratagēmata	ſtratagemata

